



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Articulus III. Quæ intentio & qualitates requirantur ad Beneficium accipiendum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

Garc. Castrop. n. 35. Et quidem potest talis Coadjutor habere duo vota, unum de se, si habeat v. g. dignitatem in illo Capitulo, alterum ratione Coadjuti, *Castrop.* n. 37. Quod si sit Coadjutor dignitatis & Canonatus, potest Coadjuto relinquere votum ratione dignitatis & dare suum ratione Canonatus, *Garc. Castrop.* n. 38.

§. XVI. Quamvis Coadjutor reipsa non haberet dignitatem vel Canonatum, tamen potest esse Judex Apostolicus vel synodalis, quia habet prerogativas talium, quorum est Coadjutor, & fictione juris censetur talis, *Gonz. Castrop.* n. 39. contra *Garc.* Videri possunt plura apud *Garc.* p. 4. c. 5. à. n. 55. *Castrop.* cit. p. 9. & 10. *Leur.* in speciali tract. de Coadjutoriis, sub titulo, de Vicariis Episcopi.

ARTICULUS III.

734

Qua intentio, & qualitates requirantur ad Beneficium accipiendum.

Resp. I. Ut Beneficium aliquod validè & licitè obtineatur, requiritur, ut sit persona capax & habilis, hoc est, ut sit Clericus, non illegitimus (cum quo tamen Episcopus dispensare potest ad Ordines minores, & Beneficium simplex, cui Ordo major non est annexus) non irregularis, non excommunicatus, non improbus aut facinorosus, ut habeat scientiam competentem ad munus Beneficio annexum, & ætatem legitimam, nisi dispensetur, scilicet pro Beneficio simplici annos 14. (sufficere tamen 14. inchoatum, docet *Dian. p. 3. t. 6. R. 64. ex Azor. & aliis 5.*) pro eo, quod Subdiaconatum requirit, vigesimum primum; pro eo, quod Diaconatum, 22.; pro eo, quod Sacerdotium, vigesimum quartum

"quartum inchoatum. Colligitur ex *Trid. Sef. 22.*
 "23. &c. In his tamen & similibus casibus, multi
 "excusantur, vel quia illud jus ubique non est rece-
 "ptum; vel quia bonâ fide tres annos fuerunt in
 "possessione, quæ veluti usucapionem & dominium
 "parit. Ita *Less. l. 2. c. 34. d. 20.*
 " Resp. II. Qui recipit Beneficium quodcumque
 "habens annexum Ordinem Sacrum, tenetur habe-
 "re voluntatem, saltem conditionatam, clericandi,
 "& Sacrum Ordinem accipiendi, intra tempus à jure
 "requisitum. *Lay. c. 14. Less. d. 26.* Ratio, quia sus-
 "cipiens officium, cui obligatio est annexa, omni
 "modo se habilitare tenetur: Imò si curatum seu
 "Parochiale est, habetque intentionem Sacerdotium
 "intra annum non suscipiendi, sed Parochiam di-
 "mittendi, non tantùm mortaliter peccat, sed etiam
 "ipso jure est privatus, & ad fructuum restitutio-
 "nem tenetur, ut patet ex cap. *Commiss. §. 7. de elect.*
 "in 6. Quòd si tamen mutatâ voluntate, ante finem
 "anni Sacerdos fiat, fructus retinere potest; imò &
 "Episcopus dispensare potest, ut Vicario substituto,
 "studiis per septennium vacet.
 " Dixi I. *Habens annexum Ordinem sacrum:*
 "quia si is non sit annexus, & Beneficium, sit sim-
 "plex, licet illud acceptet animo fructus lucrandi, &
 "deinde uxorem ducendi, non nisi venialiter peccat,
 "si aliàs officio suo satisfaciat, ut docet *Lay. n. 12.*
 "*Sanch. l. 7. de matr. d. 45. Vasq.* Ratio, quia illa
 "perversio ordinis non videtur gravis, nec ullo jure
 "vetatur, ideoque ad nullam fructuum restitutio-
 "nem tenetur. Unde *Garc. p. 3. c. 4. n. 42.* talem ab
 "omni culpa excusat.
 " Dixi II. *Voluntatem saltem conditionatam:*
 "quia si ex justa causa postmodum status Clericalis
 "minùs illi convenire videatur, potest animum
 muta-

mutare, etiam si Beneficium sit curatum, v. g. si primogenitus familiae, aut frater unicus sine liberis decedat; si optimum matrimonium ad conservationem familiae nobilis, vel ad lites graves solvendas necessarium offeratur. Ratio, quia non est mens Ecclesiae, ita ad Ecclesiasticum statum obligare, ut haec & similia bona impediatur. *Lay. Less. l. c.*

A D D E N D A.

Q. 101. Quid dicatur esse de forma, & quid tantum conditio requisita ad provisionem beneficiale. R.

§. I. Illud dicitur esse de forma provisionis, quo non posito actus provisionis non existit, forma enim est, quae dat esse rei: illud est tantum conditio, sine quo essentia actus potest subsistere, adjicitur tamen actui, & aliquando ita necessario, ut si desit, post se trahat nullitatem actus, & ita dicuntur mediate spectare ad formam seu essentiam actus, *Castrop. t. 13. in procem. ad disp. 3. Docent autem AA. Apud Leur. p. 2. q. 860. n. 9. ex L. iubemus, Cod. de testam. si forma respiciat certum effectum, posse per æquipollens adimpleri.*

§. II. Conditiones ad collationem requisitas dedimus à n. 380., & facile applicantur reliquis provisionibus, attamen cum diversitate secundum diversam naturam provisionum, uti circa varios modos providendi est dictum. Quid faciendum sit, quando fundatio vel statutum requirit, ut provisio fiat cum consilio, interventu, consensu, scientia aut supplicatione alicujus, dictum est à n. 386.; an verò provisio requirat scripturam, dictum est n. 388.

Q.

737 Q. 102. Quid notandum circa fidem beneficiati
& professionem fidei ab eo faciendam. R. Seqq.

§. I. Infideles non baptizati sunt omnino incapaces beneficii ecclesiastici, cum non sint in Ecclesia: capaces tamen esse possunt, si conversi baptizentur, etiamsi parentes in infidelitate sint mortui, *Suar. Sanch. Passer.* de Elect. c. 25. à n. 56., quamvis particularibus decretis ejusmodi descendentes quandoque arceantur à quibusdam beneficiis aut Ordinibus religiosis, uti refert *Leur.* p. 1. q. 291. De neophytis seu recenter baptizatis videri potest idem *Leur.* q. 292. & p. 3. q. 361.

738 §. II. Hæretici sunt incapaces, quia sunt excommunicati, irregulares, infames, ac specialiter prohibentur tam jure humano, Cap. *Quicumque*, de Hæreticis in 6.; quàm divino, 1. ad Timoth. 3. *hæreticum hominem evita.* Extendit hoc *Castrop.* t. 4. d. 4. p. 5. n. 2. ad hæreticos publicos etiam cum Ecclesia reconciliatos. De fautoribus filiis ac nepotibus hæreticorum; item de punitis per inquisitionem; item de schismaticis, vide *Leur.* p. 2. q. 295. & seqq.

739 §. III. Provisi in Cathedralibus tenentur professionem fidei emittere coram Episcopo & Capitulo, alioqui non faciunt fructus suos, nec eos juvat possessio, *Trid. Sess. 24. c. 12. de Ref.* Si autem quis professionem illam omiserit per ignorantiam, inadvertentiam, oblivionem, facit quidem fructus suos pro foro conscientiae, sed pro foro externo non juvabit eum allegata ignorantia juris clari, *Barb. de Pot. Ep. alleg. 61. n. 29. Sylvius p. 1. v. Fidei professio.*

740 §. IV. Qui admisit parochiam, tenetur ultro per se vel per procuratorem specialiter designatum intra duos menses à die acceptæ pacificæ possessionis facere

tere coram Episcopo vel Vicario professionem fidei, & spondere obedientiam Papæ, etiam Sede Romanâ aut Episcopali vacante: idem fieri debet, quoties novam Parochiam accipit, uti statuit *Trid.* suprâ: ad idem tenetur, etiam si obtineat Parochiam per resignationem, alioquin peccat mortaliter & tenetur restituere fructus perceptos post illos duos menses, usquedum professionem illam faciat; prius tamen post sententiam iudicis, uti cum aliis *Barb. de Off. Parochi c. 4.*

Q. 103. Quid circa Clericatum & Ordines 741
prærequiritos vel annexos beneficio sit notandum.

R. Seqq.

§. I. Clericatus dicitur à κληρος, Sors vel hæreditas, eò quòd Clerici in sua Ordinatione assumantur in hæreditatem Domini vel assequantur hæreditatem in Domino, uti dicitur *Cap. Cùm secundum*, 16. de præb. Acquiritur autem Clericatus per primam tonsuram.

§. II. Ad quòdcumque beneficium Ecclesiasticum, aut etiam ad pensiones super fructibus beneficii, per se loquendo & ordinariè prærequiritur Clericatus, quia laicus non potest possidere jus spirituale, *Cap. Si quis deinceps*, & seqq. 16. q. 7. *Lott. l. 1. q. 4. n. 121. Corr. l. 1. c. 5. n. 156. & à n. 163.* Nec sufficit esse destinatum ad Clericatum, aut communiter haberi pro Clerico, quia licet communis error possit reddere illa valida, quæ talis facit, non tamen reddit eum in se habilem ad aliquid, *Paris. Leur. p. 3. q. 353. n. 2.* Nec sufficit Clericatus conjugati, quia jus eum habet tanquam laicum, *Paris. Leur. n. 3.* Nec etiam sufficit laicatus Religiosi, qui tantùm gaudet privilegio Canonis, *Butr. Paris. Rebuff. Leur. n. 4.* Imò præsentatio aut electio alicujus non actu Clerici, aut prius tonsurati post expeditionem litterarum,

rarum, etiam antequam eas obtineat, est ipso jure nulla, *Passer. de Elect. c. 25. à n. 335. Corr. à n. 109.* Nec validatur per supervenientem Clericatum, uti putat *Corr. n. 101.* Idem est de tonsurato ab alieno Episcopo sine dimissoriis, quia cum sit suspensus & careat executione, est, ac si non haberet Clericatum, *Corr. n. 150. Paris. Leur. q. 355.* Debetque Clericatus exprimi in impetratione beneficii, *Paris. de Resign. l. 4. q. 2. n. 9. Lott. l. 3. q. 35. à n. 1. Dixi 1.,* per se loquendo, nam fundator potest disponere, ut infans usque ad Clericatum habeat beneficium titulo sæculari, *Garc. p. 1. c. 2. n. 31.* Item Papa potest concedere beneficium laicis, etiam fœminis, *Barb. de Pot. Ep. alleg. 72. n. 75. Corr. à n. 135.* Vide *Leur. p. 1. q. 302. & seqq. Dixi 2.,* ordinariè, nam potest laicus præsentari in tempus habile, v. g. *præsento, quamprimum fuerit tonsuratus; præsento & peto ei dari tonsuram,* dummodo hanc recipiat intra tempus præsentatori concessum, *Gutt. Paris. Lamb. Garc. p. 7. c. 1. à n. 28. Corr. l. 4. c. 6. n. 31.* Item, si præsentetur per litteras, satis est esse Clericum, quando præsentatio exhibetur habenti instituere, *Garc. n. 32. Leur. p. 2. q. 158. n. 3.* Testatur etiam *Paris. apud Leur. p. 3. q. 353. n. 1.* Rotam aliquando resolvisse, quòd sufficiat, si præsentandus fuerit proxime clericandus, quia tum non est penitus indignus, cum ante institutionem sit tonsuratus. Non est tamen opus Clericum præsentandum incedere in habitu & tonsura, quamvis id à *Sixto V.* requiratur ad instituendum, *Corr. n. 32. Leur. n. 4.,* sed illa *Constit.* non est valde recepta usu. Ad præfecturam regularem non prærequiritur Clericatus, uti dictum est n. 410. Vide *Leur. p. 1. q. 310. 323. 324.*

743

§. III. Si quis ante primam tonsuram susceperit Minores & in his ministraverit, si hoc delictum maneat

neat occultum, nec ad forum contentiosum deductum fuerit, est quidem irregularis, sed Episcopus potest dispensare, uti habet *Trid. Sess. 24. c. 6. de Ref.* Si non ministrarit, non est irregularis; putat tamen *Sperell. decis. 114.* fori Eccl. non esse per 4 Minores capacem beneficii sed adhuc requiri tonsuram, quam cum Canonistis contra Theologos docet esse Ordinem, sed oppositum videtur dicendum, nam sicuti qui sine ullo alio Ordine fieret Sacerdos, esset Clericus, quia addiceretur cultui & officio divino, & iniret statum Ecclesiæ proprium, ita etiam qui ordinaretur Minoribus sine tonsura.

§. IV. Præter tonsuram non prærequirit jus commune aliquem Ordinem ad ullum beneficium, sed satis est beneficiandum esse habilem, ut intra annum suscipiat Ordinem beneficio annexum, *Lott. l. 2. q. 47. n. 13. Covr. l. 2. c. 10. n. 84.* Computatur autem hic annus à die pacificæ possessionis, *Passer. n. 368. Barb. ad Trid. Sess. 22. c. 4. & de Canonicis c. 16. n. 7.* Debetque hunc Ordinem tum recipere, quamvis possideat tantum partem reddituum, *Gl. Laym. Leur. q. 319.* Et si post monitionem negligat recipere, potest declarari ipso jure privatus beneficio per Statutum *Conc. Constant. Sess. 43. de dispens.*, uti habet declaratio Cardinalium; quod etiam poterit facere Capitulum, si sit exemptum, *Less. in auct. V. beneficium, cas. 20.* Possè tamen quoad beneficia simplicia in hoc dispensare Episcopum & Capitulum, docent *Abb. Laym. & Leur. q. 322.*, si id per fundationem non requiratur.

§. V. Ad electionem in Episcopum, sub pœna irritationis faciendæ, prærequiritur secundum *Barb. de Pot. Ep. alleg. I. n. 37.*, ut sex mensibus antè fuerit presbyter, vel, uti probabilius docent *Less. l. 2. c. 34. n. 98. Gastrop. t. 13. d. 4. p. 7. n. 2. Passer. à*

n. 352., saltem Subdiaconus: & cum electus Episcopus secundum *Trid. Ses. 23. c. 2. de Ref.* teneatur consecrationem recipere intra tres menses, non possit autem consecrari, quin sit Sacerdos, tenetur intra tres menses à die Confirmationis fieri Sacerdos, *Passer. n. 354.* Ad praelaturas autem Episcopatu inferiores præter tonsuram sufficit Subdiaconatus, *Passer. n. 357.* Vide *Leur. q. 314. & seqq.*

746 §. VI. Ubi divisio Canonicatum præcepta per *Trid. Ses. 24. c. 12.* non est introducta, sufficit prima tonsura, ut quis etiam in Cathedrali sit Canonicus. Et quamvis secundum dicta n. 397. aliquis sine Subdiaconatu non possit habere votum in Capitulo, tamen habet turnum ordinarium, optationem præbendæ & alia similia, nisi obstet consuetudo vel speciale statutum. Vide *Leur. q. 318.*

747 §. VII. Si Abbas, Præpositus, Decanus, Archipresbyter, quibus Cura incumbit, non fiant Sacerdotes; item si Archidiaconus non fiat Diaconus intra annum, privandi sunt, *Cap. Vt Abbates, de æt. & qual. præfic., Cap. Cum in cunctis, de Elect., Trid. supra, Nav. Sanch. Passer. n. 370.* Reliqui beneficiati in Cathedrali vel Collegiata intra annum non recipientes Ordinem annexum, secundum *Trid. Ses. 22. c. 4.* privandi sunt mediâ parte distributionum ordinariarum, licet horis inter sint, usque dum Ordinem requisitum recipiant, item voce in Capitulo. Vide *Passer. à n. 377. & Leur. q. 320. n. 5.* Quod si moniti adhuc negligant, declarari possunt privati, uti dictum n. 744. Vide tamen dicta n. 256., nam multis locis consuetudo videtur præscripsisse.

748 §. VIII. Si Parochus intra annum à die pacificæ possessionis, aut secundum *Castrop. d. 5. p. 6. n. 2.* à die, quo eam accipere potuit, neglexerit fieri Sacerdos,

cerdos, ipso jure est privatus, Cap. *Licet* 14., de Elect. in 6., *Laym.* aliique cum *Leur.* q. 320. Quod tenet *Passer.* n. 364., quamvis primo anno nullos fructus percipiat: estque præterea illâ vice incapax istius beneficii, etiam ante omnem sententiam, uti communissimè omnes cum *Sanch.* in Conf. l. 2. c. 2. d. 22. contra nonnullos apud *Barb.* de Off. Paroch. c. 5. n. 9. & 13., qui dicunt non teneri dimittere nisi post sententiam, quod probabile esse agnoscit *Castrop.* n. 6., quia nemo videtur teneri tales pœnas in se exequi: hinc etiam *Henriq. Garc.* & alii cum *Barb.* n. 12. admittunt in conscientia non vacare, donec spoliatur. Eadem autem obligatio est in Vicariis & aliis similibus beneficiis curatis, *Castrop.* n. 12.

§. IX. Si lis aliquantum periculosa initio vel per decursum anni oriatur, potest differri susceptio Ordinis, quia non est æquum; ut quis obligetur ad onus propter beneficium, quo fortè privabitur, *Garc. Castrop.* n. 3. Excusant etiam dispensatio & impedimenta legitima, de quibus *Castrop.* à n. 9. Porro Episcopus quoad hoc de jure antiquo dispensare poterat in unico casu, nempe cum Parocho, etiam ad septennium studiorum causâ, sed de hoc vide dicta l. 3. p. 1. n. 748.

An sufficiat Ordo ante ætatem per dispensationem receptus, dicitur n. 802. & 822.

Q. 104. Quid circa legitimos & illegitimos sit præterea addendum. R. Illegitimi omnes, sive sint naturales sive spurii, sunt irregulares & inhabiles ad quodvis beneficium, Cap. *Cum in cunctis*, Cap. *Innotuit*, de Elect., Cap. *Ut filii*, de filiis præsb., Cap. 1. eod. tit. in 6. Probabile tamen est provisionem illegitimi non esse ipso jure nullam, *Passer.* & alii cum *Leur.* p. 1. q. 288. Hic præcipue

explicandum est, quinam sint illegitimi, quinam naturales aut spurii, quomodo aliquis legitimari possit, quomodo filii Clericorum excludantur beneficiis. Quoad successiones vel hereditates illegitimorum satis dictum est l. 3. p. 2. à n. 1163.

751

§. I. Illegitimi dicuntur, qui nascuntur extra matrimonium: & secundum dicta l. 3. p. 2. n. 1162., si intra tempus, quo concepti sunt & nati, potuerit esse validum matrimonium inter parentes, dicuntur naturales; si inter eos non potuerit esse validum matrimonium, dicuntur spurii; hinc si alter vel uterque parens habuerit in sæculo simplex votum castitatis, proles ex his nata est naturalis, quia licet inter parentes tunc esse non potuerit licitum matrimonium, attamen potuit esse validum, cum tale votum non dirimat matrimonium, sed tantum reddat illicitum, *Mol. Castrop. T. 13. d. 4. p. 1. §. 1. contra Az. & alios.* Idem est de prole nata ex patre vel matre post celebrata sponsalia cum alia persona, *Castrop.*, nata autem post sponsalia inter patrem & matrem jure civili censetur legitima, etiamsi sponsus matrem deserat & ducat aliam, *Strickius de success. ab intest. diss. 1. c. 2. §. 49. & 50.*, sed jure canonico est naturalis.

752

§. II. Legitimi sunt, qui nascuntur ex matrimonio non baptizatorum, contracto secundum illorum usum *Pass. de Elect. c. 25. n. 108.* Item nati ex matrimonio ab utroque fidei contracto mala fide, eò quod putarent subesse impedimentum dirimens, si hoc revera non suberat, *Suar. Sanch. de matr. l. 9. d. 36. n. 3.* Nati verò ex muliere & viro post matrimonium ratum professio in Religione, sunt spurii, quia solutum erat matrimonium, & aderat impedimentum dirimens, *Sanch. Barb. Leuv. p. 1. q. 258.* Similiter nati ex viro factio presbytero &

& uxore id permittente post ratum vel consummatum matrimonium, quamvis simpliciter & quoad civilia non vocentur, sunt tamen illegitimi secundum quid, irregulares & inhabiles ad beneficia Ecclesiastica.

§. III. Si contrahentes matrimonium habuerint occultum impedimentum dirimens & præmiserint proclamationes, proles inde nata est legitima, Cap. *Ex tenore*, Cap. *Cum inter*, Cap. *Pervenit*, Qui filii sint legitimi, *Garc. p. 7. c. 2. n. 44.*; si autem sint ommissæ proclamationes, censerat illegitima, *Barb. ad Cap., Cum inhibitio*, de clandest. despons., neque cum tali dispensabit Papa, inquit *Gobat* in *Exp. T. 10. n. 501.*; natus autem ex matrimonio publico, quod bonâ fide saltem ab uno ex contrahentibus putabatur esse validum, quamvis revera fuerit invalidum, censeri debet legitimus, uti ex jure probant *Castrop. n. 6. Strick. §. 51. Gob. in Quin. T. 5. c. 37. n. 247.*, qui in *Exp. T. 8. n. 438.* idem dicit, quamvis postea sequeretur divortium.

754

§. IV. Quando dubitatur, an aliquis sit legitimus an illegitimus, reputari debet legitimus, *Barb. Menoch. Mascard. Passer Castrop. Tambur. Gob. n. 435. Leur. q. 265*, tum quia in dubio non præsumitur vitium, sed standum est pro favore & valore matrimonii, tum etiam quia culpa parentum est dubia, & illegitimitas esset quasi pœna certa, pœna autem certa non respondet culpæ incertæ, & ideo *Cap. Lator*, & *Cap. Pervenit*, Qui filii sint legit., in dubio, an quis sit illegitimus, rejicitur onus probandi in opponentem. Ex hoc principio dicendum est, I. Quamvis sciatur, quod uxor ante matrimonium habuerit copulam cum pluribus, tamen si proles nascatur post septimum mensem ab initio matrimonio, præsumitur legitima, *Gob. T. 10. n.*

197. 2. Quamvis mater illum dicat illegitimum, qui antehac habitus est pro legitimo filio, habendus est legitimus, uti habet communis: Idem est, si parentes dicant se non fuisse veros conjuges, quia delinquentium confessio tantum valet contra ipsos, non autem contra tertium innocentem, nisi accedant alia indicia, *Passer. n. 179. contra Suar.*; potestque videri *Leur. q. 265. & 266. §.* In locis catholicis nati ex matrimonio initis coram Prædicante vel cum impedimento juris Ecclesiastici, quæ apud heterodoxos impedimenta esse non reputantur, censendi sunt legitimi, quia eorum matrimoniorum validitatem defendunt plures AA, uti dicemus l. 6. 4. Si sciatur duos contraxisse cum impedimento dirimente, & dubitetur, an contraxerint malâ fide, proles censi debent legitimæ, *Suar. de Cens d. 50. f. 1. n. 10. Passer. n. 109.*; quod tenet, etiam si parentes, postquam bonâ fide contraxerant, dubitarint de valore matrimonii, & proles stante hoc dubio sint genitæ.

755 §. V. Aliqui putant, quamvis certum esset Titium esse illegitimum, si tamen publicè habeatur pro legitimo, posse pro tali se gerere, quia est legitimus pro foro externo, nec plus videntur intendere Canones, quorum finis est, ut personæ ad beneficia admittendæ sint publicè & in communi æstimatione honestæ, quod hîc erit; & simile quid dictum est à n. 38. de puella corrupta, quæ potest se gerere velut Virginem: sed quidquid sit de hoc postremo casu, quoad priorem contradicunt *Nay. Suar. Az. Sayr. Leur. q. 262.*, quamvis *Laym. & alii cum Pelliz. de Regul. T. 2. T. 7. c. 5. f. 2. n. 71.* fateantur talem illegitimum, quando causa gravis urget, posse promoveri, etiam ad sacros Ordines sine dispensatione, si hæc haberi nequeat sine propria aut

parentum infamia: Ratio nostra est, quia communis sententia tenet cum *Diana* p. 10. T. 13. R. 30. etiam occultos illegitimos esse irregulares. Vide dicenda n. 781.

§. VI. Legitimatio est restitutio natalium quoad 756
ea, quæ jure positivo illegitimis denegantur: differt autem à dispensatione, quod hæc fit circa aliquos tantum effectus, sitque strictè interpretanda, secundum dicta l. 1. n. 798., legitimatio autem fit circa personam, quam reddit aptam ad omnes effectus, ac latè sit interpretanda, *Passer.* n. 306. *Leur.* q. 287.

§. VII. Illegitimi naturales fiunt legitimi per 757
subsequens matrimonium parentum, etiam si postea prius contrahatur in articulo mortis, & quando facti sunt inhabiles ad generandum, aut post intermedium aliud matrimonium, *Stryck.* §. 62.; matrimonium enim fictione juris retrotrahitur ad tempus, quo proles sunt genitæ, atque legitimat ex vi sua & legis positivæ, etiam si parentes aut proles ipsæ legitimationem nollent, vel etiam postea essent ingratiſsimæ: sufficit autem matrimonium præsumptum, bonâ fide contractum, etiam sine ceremoniis & scripturis nuptialibus, dummodo ab Ecclesia ut validum reputetur, quamvis fortè re ipsa esset invalidum. Vide *Leur.* q. 260. n. 1. An autem & quomodo per subsequens matrimonium clandestinum legitimari possit proles, videri possunt *Sanch.* de mati l. 3. d. 44. n. 2. *Carden.* in 1. crisi d. 11. n. 149.

§. VIII. Si Cajus per fornicationem natus ex Ti- 758
tio & Berta moriatur illegitimus, & relinquat proles ex vero conjugio, tumque prius matrimonium ineant Titius & Berta, proles Caji etiam immediatè legitimantur ex vi hujus matrimonii, uti latè contra alios probat *Castrop.* §. 2.

A a 5

§. IX.

759 §. IX. Spurii spectato jure Canonico non legitimum per subsequens matrimonium, Cap. *Tanta*, Qui filii sint legit. Quòd si impedimentum dirimens ab uno saltem parentum fuerit ignoratum, quando proles concipiebantur, putant *Stryck. §. 68. & Castrop. n. 9.* legitimari, quia sicuti ad hoc, ut filius sit legitimus, sufficit bona fides unius è parentibus habilibus, ita ad hoc, ut sit naturalis, videtur sufficere, quòd unus ignorarit impedimentum dirimens; sed *Suar. Garc. Peyr.* contradicunt, quia cum uterque sciverit se illicitè agere, & illa quasi pœna sequatur delictum, putant ex dispositione juris censendum esse spurium.

760 §. X. Si impedimentum abfuerit saltem tempore nativitatis, adhuc volunt *Abb. Butr. Suar. Menoch. Fill. Garc. Pass. n. 134.* esse spurium, sed probabilius contradicunt *Covarr. Sanch. Sayr. Pont. Peyr. Barb. Castrop. n. 5.* quia secundum legem civilem debet hìc attendi tempus conceptionis vel nativitatis, prout proli magis expedit; nec huic legi derogant Canones: & idem dicit *Castrop.*, si quocumque tempore intermedio fuerint habiles.

761 §. XI. Tam spurii quàm naturales legitimari possunt per solum supremum Principem ipsorum, aut ex ejus commissione per alium, v. g. in Imperio Romano per Comitem Palatinum: Supremi autem Principes sunt, in ecclesiasticis Papa; in civilibus, Imperatores, Reges aliique Principes, qui pro suis terris condere possunt leges & conditas abrogare, *Castrop. §. 5.* Princeps autem Ecclesiasticus legitimat ad favores tantum Ecclesiasticos, sæcularis tantum ad sæculares, quia neuter potest se extendere ultra suum forum, unde *Cajus* hìc legitimated à Cæsare, est legitimus civiliter tantum, & manet irregularis ac incapax beneficii, capax tamen est juris

ris patronatus annexi suæ hæreditati, *Castrop.* n. 19. E contra legitimatus à Papa est legitimus canonicè tantum, fitque capax Ordinum & beneficiorum, sed non successionis hæreditariæ nec aliorum jurium civilium solis legitimis concessorum, *Gob. in Quin. T. 5. c. 37. n. 350.* Vide tamen etiam *Less.* in auct. v. *Illegitimus* cas. 2., & præcipuè *Delbene* de Immun. Eccles. c. 10. dub. 6. sect. 9. Ut autem valeat hæc legitimatio, putat *Castrop.* §. 6. n. 13. requiri consensum tam parentum quàm legitimandi, quia invito non fit gratia. Vide dicta l. 1. n. 841. Quomodo autem possit Papa legitimare aliquem etiam quoad civilia, removendo illegitimitatem ab ipso Matrimonio, & veluti sanando radicem, explicant *Castrop.* §. 5. à n. 5. & *Corr.* in praxi disp. Apost. l. 8. c. 3. à n. 51., sic enim si Papa per clausulam *ex tunc* vel *ab initio* dispenset in Matrimonio inito cum impedimento dirimente, aut illud postea ratihabeat, tunc sanat radicem, & legitimantur etiam spurii, *Abb. Gare. Passer.* n. 142., quod dicunt verum esse *Peyr. & Barb. Cap. Tanta*, etiamsi ob mortem unius conjugis Matrimonium non potuerit perfici. Quòd si nudè dispenset pro Matrimonio contrahendo, manent spurii, *Passer.* n. 144. An verò & quomodo filius legitimari possit à parente, aut Clericus à Principe sæculari, explicat *Castrop.* §. 6. à n. 5. Et quas condiciones requirat Rescriptum legitimatiõis, explicat §. 7.

§. XII. Episcopus aliique habentes jurisdictionem quasi Episcopalem; item Capitulum Sede vacante, possunt cum suis subditis etiam spuriiis dispensare ad Ordines minores & ad beneficium tantum simplex, *Cap. Is qui*, de filiis presbyt. in 6. *Barb.* ibidem n. 6. Non tamen ad plura beneficia, etiamsi tenuia, *Az.* aliique apud *Lenr.* q. 269. Etiam probabili-

habilitate dispensare possunt cum illegitimis occultis ad sacros Ordines, *Avil. Kôn. Corneo, Henric. Laym. Lex. Prepos. Peyr. apud Dianam p: 10. T. II. R. 24., & cum Pelliz. n. 73.* Item ad Canonatum Ecclesiæ Collegiatae & ad inferiora beneficia Cathedralis, quæ non requirunt Ordinem sacrum, *Diana p. 4. T. 2. R. 64., & multò magis secundùm Nav. Kôn. Castrop. contra Suar. Passer. & alios, ad ministrandum in Ordinibus sacris bonâ, aut fortè etiam malâ fide susceptis, uti putat Laym., videri tamen debent de his Barb. de Pot. Episc. alleg. 45. à n. 19. & Leur. q. 267. 268. 270.* Quomodo autem verba talis dispensationis sint interpretanda, dixi l. 1. n. 62., potestque videri etiam *Leur. q. 269. & Less. cas. 3.*

763

§. XIII. Filii illegitimi Clericorum, etiam si sint legitimi vel dispensati ad Ordines & beneficia, non possunt in Ecclesiis, ubi eorum patres habent aut habuerunt beneficium, obtinere beneficium qualecunque, etiam dissimile, nec pensiones super fructibus beneficiorum, quæ patres habent vel habuerunt; imò nec ullo modo ministrare in illis Ecclesiis, ita *Trid. Sess. 25. c. 15. de Ref., circa quod varia dubia, extensiones & limitationes adducunt Castrop. d. 4. p. 2. Luca de benef. d. 66. Leur. q. 272 & seqq. ubi q. 278. idem ex parte extendit ad Regulares; item q. 279. & 280. ad patrem, qui succederet filio in eodem beneficio, aut in eadem Ecclesia post filium obtineret beneficium. Vide dicta n. 700.*

764

§. XIV. Filii legitimi Clericorum possunt in eadem Ecclesia habere cum patre beneficium, non tamen succedere in beneficio, nisi mediatè, *Cap. Ad extirpandas, & Cap. Constitutus, de filiis præsb. Inn. Garc. Leur. q. 281. & seqq., ubi circa hæc plures limitationes, extensiones & dubia proponit ac resolvit.*

§. XV:

§. XV. Hic obiter notandum est cum *Strick. §. 763*

illegitimos etiam per hoc discerni, quod non utantur insignibus patris, nisi baculo seu barrâ interjectâ, quæ incipiat à sinistris & desinat in imum latus dextrum, quia sunt filii quasi sinistrae; E contra pro legitimis, à dextris desinit in sinistram.

Quomodo omnes illegitimi legitimentur, si in aliqua Religione emittant vota substantialia, dictum est n. 8., ubi circa hos plura videri possunt.

Q. 105. *An exposititii, quorum parentes ignorantur, censi debeant legitimi, adeoque sint capaces beneficiorum. R. Negant Covarr. Vgol. Majol. Suar. Vasq. Rebel. Garc. Tond. Corr. Paxiord., quia sæpius sunt illegitimi, præsumptio autem sumitur ex his, quæ frequenter contingunt: E contra affirmant Grat. Felin. Bermand. Paleot. Rodriq. Menoch. Mascard. Salas, Barb. Peyr. Pass. Diana, Castrop. Pontius, Leur. p. 1. q. 265. de quo etiam habet p. 3. q. 521. quia etiam sæpe exponuntur legitimi ob paupertatem parentû vel alias causas, in dubio autem facienda est interpretatio in meliorem partem & in favorem prolis, arg. Cap. Ex tenore, Qui filii sint legit. Et quando est præsumptio contra præsumptionem, illa debet prævalere, quæ continet favorem & excludit delictum, cum delicta non præsumantur: denique quia in dubio, an quis sit legitimus an illegitimus, censi debet legitimus, secundum dicta n. 754.*

Q. 106. *Quid notandum sit circa conjugatum, 767 bigamum, servum. R. Seqq.*

§. I. Quamvis aliqui dicant Clericum conjugatum in Ecclesia latina esse ex dispensatione Episcopi capacem beneficii simplicis, quia id videtur supponi Cap. Ioannes, de Cler. & conjug., tamen tenendum est oppositum cum *Sanch. de matr. l. 7. d. 42.*

n. 18.

n. 18., quia *Cap. diversis*, *ibid.* id prohibetur Episcopis, & reputatur laicus in omnibus, praequam in privilegio Canonis & fori in criminalibus, juxta *Cap. un. de Cler. Conjug. in 6.*, *Corr. l. l. c. 5.* à n. 114., Hinc dicendum est, quòd *Caput, Ioannes* loquatur de Clericis dispensatis per Papam.

768

§. II. Bigamia est reiteratio matrimonii consummati, seu divisio carnis in duas successive uxores: inducit irregularitatem ex defectu significatio- nis Sacramenti, quo Christus cum unica sponsa Ecclesia conjungitur: Est autem triplex, *vera*, si reipsum cum duabus uxoribus consummarit matrimonium, five ante five post susceptum baptismum: *Interpretativa* five per juris fictionem, uti si quis in uxorem ducat & cognoscat viduam à priore viro cognitam, aut etiam non viduam sed prius corruptam à alio: *similitudinaria*, si Clericus in sacris constitutus vel Religionem professus cum virgine invalidè contrahat matrimonium eamque cognoscat. Vide *de Busenb. l. 7. c. 5. d. 5. n. 5. Leur. p. 1. q. 352.* & seqq. Omnes hi bigami sunt incapaces beneficii quia sunt irregulares ac prohibentur suscipere Ordines & in susceptis ministrare, *Cap. Cognoscimus* dist. 34., *Cap. 2. & seqq. dist. 26.*, *Cap. Praecipimus* & seqq. dist. 34. *Cap. un. de bigamis* in 6. Imò prohibentur suscipere tonsuram, *Cap. si quis viduam*, dist. 50. Vide *Laym. l. 1. t. 5. p. 5. c. 6.* Ad *Cap. I. de bigam. n. 3.* item *Leur. q. 353.*

769

§. III. Papa potest cum omnibus bigamis dispensare ad Ordines, beneficia & dignitates, quatenus enim *Cap. 2. de Bigam. dicatur*, *Non licet contra Apostolum cum bigamis dispensare, ut promissi veri possint ad Ordines*, tamen non dicitur non posse, sed tantum insinuatur difficultas, nisi adsit gravissima causa; neque Apostolus ibi promulgat legem

divinam, sed ut Apostolus & Pastor Ecclesie condit humanam, *Leur. q. 356.*

§. IV. Episcopus non potest cum veris aut inter- 770
pretativis bigamis dispensare ad ullos Ordines, nec
ad ministrandum in eis, nec ad tonsuram aut benefi-
cium ullum, *Nar. Suar. Garc. Laym. Barb. Pias. Diana, Fagn. ad Cap. 2. de bigam. à n. 33. Passer. de Elect. c. 27. n. 66. contra Silv. Avil. Az. Sayr. Sanch. de matr. d. 86. n. 11.*, quorum aliqui dixerunt
posse dispensare ad omnia beneficia, alii ex *Cap. super eo, de bigam.* non posse quidem ad recipienda sed
ad recepta, sed oppositum habetur ex *Cap. 2. de bigam.*, & *Cap. un. de bigam. in 6.*, *Cap. Confidae*
dist. 50. Potest tamen dispensare Episcopus in biga-
mia similitudinaria, *Suar. Laym.*, non tamen si
post Sacros Ordines vel professionem religiosam du-
xerit & cognoverit viduam, quia talis incurrit irre-
gularitatem indispensabilem, *Cap. fin. de bigam. non Ordin.*, *Suar. Sanch. Leur. q. 357.*

§. V. Potest Episcopus dispensare cum Religiosis, 771
uti cum aliis, *Suar. Sanch. Laym. Pirh. Leur. n. 2.*
Superiores autem eorum plus non possunt quoad
hoc circa subditos suos, quam Episcopus, *Leur. q. 358.*

§. VI. Verè servi, seu mancipia, sunt irregula- 772
res, nec ad ullum beneficium nec ad primam ton-
suram promoveri possunt, *Cap. 1. & Cap. Consulit, de servis non ordin.*, *Cap. Generalis & Cap. Admittuntur, dist. 54. Leur. q. 359.* Excipe, nisi
sint plenè liberti seu absolutè & in perpetuum ma-
numissi, *Cap. si quis, dist. 54. Leur. q. 361.* Quòd
si servus sciente & non contradicente Domino ton-
suretur, fit liber, *Cap. si servus 20., dist. 54. Suar. de Cens. d. ult. f. 3. n. 5.* Si ignorante domino ordi-
netur tantum Minoribus, manet servus, *Cap. de servorum, dist. 54. Suar. supra.* Si contradicente vel
igno-

ignorante domino suscepit Subdiaconatum aut Diaconatum ab Episcopo sciente, fit liber, sed Episcopus, aut qui id procuravit, tenetur reddere duos servos æquè bonos vel duplum pretium solvere, Cap. *si servus*, de servis non ordin. Si servus ipse procuravit nemine conscio, debet domino dare suū similem, vel se ex proprio peculio redimere, vel si neutrum potest, debet reddi domino, & privatur usu Ordinum ac privilegio fori, Cap. *Ex antiquis*, dist. 54.; retinet tamen privilegium Canonis, *Sayr. Pirb.* Si sic suscepit presbyterium, manet liber, sed perdit usum peculii, si quod habeat, Cap. *Ex antiquis* ibid. Si non habeat, tenetur servire in officiis Spiritualibus, Cap. *Frequens*, ibid. *Dixi*, verè servi, nam originarii, quales sunt in his partibus, non sunt irregulares, quamvis indigeant consensu illorum, quibus obligantur ad obsequia personalia, Cap. *Admittuntur*, ibid. *Laym.* l. 1. c. 5. p. 5. c. 8. n. 2.

773 §. VII. Servum ab irregularitate absolvere potest solus Papa, *Laym. Pirb. Levr.* q. 362.

774 Q. 107. Quid de illo sit dicendum, qui est in censura aliqua vel irregularitate. R.

§. I. Excommunicatus excommunicatione majore, etiam ab homine, quamvis injustè, dummodo rite sit lata, & quamvis talis excommunicatus sit toleratus ac planè occultus, aut etiam nesciatur incurrisse, vel putetur esse absolutus, est nihilominus inhabilis ad omne beneficium & pensionem quomodocumque acquirendam, Cap. *Postulastis*, de Cler. excom., Cap. *Pastoralis*, de appell., Cap. 1. de Rescript. in 6. *Garc.* p. 7. c. 13. *Pass.* de Elect. c. 25. à n. 445. *Barb.* ad Cap. *Postulastis*, *Levr.* p. 1. q. 325. Et si constitutus in tali excommunicatione, etiam ignorans aut se non reflectens accepit beneficium,

cium, tenetur fructus perceptos restituere, quia non habuit titulum faciendi suos, *Less. in auct. v. beneficium. cas. 7.*

§. II. Si provisio facta sit ante excommunicationem, sed acceptio possessionis fiat in excommunicatione, *Covar. Kôn. Hurt. & alii* dicunt provisionem esse invalidam, quia quando acceptat aut ingreditur jus, est illius incapax, ergo illud non accipit; oppositum tenent *Suar. Vasq. Paris. Garc. Barb. Passer. n. 459 Diana p. 4. T. 4. R. 56.*, quia jura tantum irritant collationem & electionem, per quam excommunicato jus acquiritur, non autem acceptationem vel possessionem, quia acceptatio est tantum juris acquisiti receptio, possessio autem est potius aliquid facti quam juris: si tamen per hæc acquireretur novum aliquod jus, provisio invalidaretur, *Leur. q. 329.*

§. III. Si Electio vel præsentatio facta sit tempore excommunicationis, sed acceptatio, confirmatio aut institutio fiat extra, *Abb. Suar. Garc. Barb. Less. Kôn. Passer. n. 448. Leur. q. 326.* probabiliter dicunt provisionem esse invalidam, quia quod ab initio nullum est, nec tempore nec acceptatione nec confirmatione aut institutione fit validum: Putant tamen *Bonac. Henriq. Diana supra, Sauch. de Matr. l. 8. d. 7. n. 12.* esse probabiliter validam, quia prior electio vel præsentatio videtur in prima voluntate durare usque ad sublationem excommunicationis, quando acceptans est capax. Quid in Rescriptis operetur clausula absolutoria, & quibusvis, videri potest *Leur. q. 329. n. 4.*

§. IV. Excommunicatio minor facit promotionem ad beneficium non simplex esse irritandam, *Cap. si celebrat, de Cler. excom., Suar. Passer. n. 473.* contra *Abb. & alios*: Si tamen probabiliter

Bb

igno-

ignoretur à promote & promotio, valet promotio, quia lex loquitur tantum de scienter agentibus, *Passer.* aliique contra *Garc.* Quod si alteruter tantum ignorarit, videtur irritanda, *Garc.* & alii contra *Hofst.* & *Peyr.* Vide *Leur.* q. 303. & *Diana* p. II. t. 5. R. 5.

778 §. V. Suspendus simpliciter ab omni officio & beneficio, etiam si sit occultus & non denunciatus, promoveri non potest ad dignitates vel beneficia Ecclesiastica, *Cap. Cum bona*, de ætat. & qual. præf. Putant tamen *Laym.* *Castrop.* aliique cum *Diana* p. II. t. 5. R. 4. contra *Suar.* *Th. Hurt.* & alios apud *Pass.* n. 493. promotionem talis suspensi non esse ipso jure irritam sed irritandam. Quod si suspendus ab omni tantum officio promoveatur ad beneficium curatum aut simplex, promotio est etiam irritanda, quia omni beneficio annexa est aliqua functio, qua ipsi prohibetur, qualis est saltem privatum orare Horas tanquam Ministrum & Officialem Ecclesie, nemo autem potest promoveri ad hoc, quod prohibetur exercere, arg. *Cap. Translato*, de Constit. Si autem suspendus sit ab officio tantum particulari, potest promoveri ad beneficium super alio officio fundatum, *Pass.* à n. 478. Et hæc applicari debent suspendo à beneficio, quia omne beneficium est propter officium annexum, *Pass.* n. 492. Denique suspendus ab aliquo Ordine, promoveri non potest ad beneficium requirens usum talis Ordinis, potest tamen ad aliud requirens vel solam primam consuetudinem vel usum alterius tantum Ordinis, *Pass.* n. 489. Vide *Leur.* q. 331. & 332.

779 §. VI. Interdictus personaliter, etiam occultus, est inhabilis ad omne beneficium, quia prohibetur exercere omnia officia Clerici, quale est saltem orare Horas, *Cap. 1. de postul.*, *Cap. ult. de excess.*

præl.

præl., Cap. *Episcoporum*, de privil. in 6., Pass. à n. 497. *Leur.* q. 333. Idem est de violante interdium, Cap. *Is qui*, de Sent. excom. in 6., de quo tamen vide *Leur.* q. 334.

§. VII. Irregularis non potest promoveri ad ullum beneficium vel pensionem Ecclesiasticam, uti habet communissima cum *Leur.* q. 335., quia cum omne beneficium & etiam prima tonsura tendat ad Ordines & horum usum, & susceptio ac usus omnis Ordinis prohibeatur irregulari, etiam prohibetur beneficium, Pass. n. 506. Si tamen irregularitas impediatur usum alicujus tantum Ordinis, poterit recipi beneficium requirens usum alterius tantum Ordinis antea suscepti, *Garc. Leur.* q. 335. Habetque sententia communior promotionem irregularis esse ipso jure nullam, licet *Felín. Laym. Dian. Castrop. Leur.* q. 336. probabiliter dicant esse tantum irritandam: peccatur tamen graviter sic admittendo, quia in re gravi est inobedientia contra Sacros Canones, teneturque talis statim petere dispensationem, Pass. n. 519.

§. VIII. Si quis in occulto ejusmodi impedimento constitutus non possit recusare beneficium, nisi se graviter infamando vel dando scandalum, potest acceptare, sed tenetur statim procurare absolutionem ab eo, qui non tantum possit absolvere, sed etiam nullitates antecedentes sanare, *Suar. de Cens. d. 13. f. 1. à n. 31. Peyr. Sa, Garc. Leur.* q. 327. & 328. Vide dicta n. 75. & dicenda à n. 835.

Q. 108. *Quid circa aptitudinem corporis sit addendum. R. Seqq.*

§. I. Generaliter ex tit. *de corpore vitiatu, de Clericis agrotantibus*, Cap. *Nisi cum pridem*, de renunc., *Trid. Ses. 22. c. 4. de Ref.*, illa dispositio corporis reddit incapax beneficii, quæ reddit in-

habilem ad decenter præstandum officium beneficio annexum, *Castrop. t. 13. d. 4. p. 4. n. 1.* Specialiter autem loquendo, incapaces beneficii acquirendi sunt, 1. cæci, surdi, muti, non tamen lippi, carentes uno oculo, surdastri, balbutientes, *Nav. Peyr. Sayr. Pass. Leur. p. 1. q. 230.* 2. Laborantes quasi continuâ paralyfi aut podagrâ, *Barb. Peyr. Sayr. Paris. Leur.* 3. Habentes infirmitatem habitualem & radicatam duraturam notabili tempore & impedientem à præcipuis functionibus beneficii vel prælaturæ, *S. Th. Abb. Suar.* Item valetudinarii communiter lecto affixi, *Paris. Menoch.* 4. Carentes primariâ aliquâ corporis parte; vel ita deformes, ut sine notabili horrore & scandalo obire nequeant munia Ecclesiastica, *Pass. de elect. c. 25. à n. 327.* Plura de his dicentur l. 7., quando de irregularitate.

783

§. II. Qui habet vitium corporis, ob quod inhabilis est ad Presbyterium, etiam videtur inhabilis ad Ordines Minores & tonsuram, adeoque & ad omne beneficium, nam *Cap. 60. Non confidat. dist. 50.* absolutè dicitur corpore vitiatos non esse applicandos divinis ministeriis, & finis primæ tonsuræ ac aliorum Ordinum est Presbyterium, ergo inhabilis ad hoc, etiam est ad illos, *Tol. Garc. Vgl. Castrop. Leur. q. 231. contra Valent. T. 4. d. 7. q. 19. p. 3.* Si tamen aliquis post susceptum Clericatum contrahat vitium corporis, ob quod sit irregularis, potest promoveri ad beneficium, cujus officium non impeditur, quia irregularitas ex defectu corporis superveniens ordinato impedit illius tantum Ordinis exercitium, ad quod reddit inhabilem, ergo etiam illius tantum beneficii affecutionem, cujus impedit exercitium seu obligationem, *Az. Suar.* Hinc inferunt *Less. Garc. Castrop. Leur. q. 239.*, cum omni beneficio annexa sit obligatio Horarum, qui per vitium

vitium superveniens redditur inhabilis ad legendum, esse inhabilem ad omne beneficium.

§. III. In Prælatos eligi non possunt, 1. amens, 784
licet habeat lucida intervalla, quia Prælati debet esse omni tempore aptus ad gubernandum, *Pass. n. 5. 2.* Qui semel fuit fatuus, si causa permaneat: & probabile est illorum electionem pro Cathedralibus & Collegiatis esse irritam per *Trid. Sess. 22. c. 4. de Ref. Nec aliis imposterum fiat provisio, nisi iis, qui jam atatem & ceteras habilitates integrè habere dignoscantur, aliter irrita fit provisio, Pass. n. 10. Leur. q. 233.* Si tamen probentur esse perfectè sanati, & antecedenter habuerint Ordinem ad prælaturam requisitum, eligi possunt, *Pass. n. 7. Leur. q. 232.*, sed ordinari non possunt, quia sunt irregulares, *Suar. Bonac. Leur. 3.* Qui frequenter se inebriat, quia est velut amens per intervalla, *Peyr. Barb. Pass. Leur. q. 234.* 4. Semel possessus à demone, si antecedenter non habuerit Ordinem requisitum, quia ob irregularitatem ordinari non potest: si tamen habuerit Ordinem prærequisitum, & probet se liberatum, eligi potest, *Suar. Pass. Leur. q. 235.* 5. Epileptici, nam hi, non ordinati, sunt perpetuò irregulares; tamen ordinati, & raro, v. g. in mense tantùm semel sine inconditis Vocibus cadentes, eligi possunt, multò magis, si morbo sint liberati, quod probatur per dies 30., *Cap. In tuis litteris 7. q. 2. Suar. Bonac. Silv. Pass. Leur. q. 236.* Ejusmodi tamen defectuosorum electiones non sunt ipso jure irritæ sed irritandæ, *Pass. n. 329.* Quòd si talis infirmitas vel inhabilitas ad regendum, superveniat Prælato confirmato, non deponitur, sed ei datur Coadjutor, *Pass. n. 332.*

Q. 109. Quid addendum sit circa morum probitatem. R.

§. I. Cap. *Cum in cunctis*, de elect., Cap. *Grave nimis*, de præb., *Clement. 1.* de ætat. & qual., *Trid. Sess. 24. c. 18.* de Ref. præcipitur, ut inquisitio fiat in mores ac honestatem beneficiandi; estque saltem irritanda promotio illius, qui deditus est gravibus peccatis cum animo in iis perseverandi, esse enim scandalum talem adhibere aut relinquere in ministerio sacro, *Nav. Az. Castrop. t. 13. d. 4. p. 5.* Imò si secuta erat infamia, hæc potuit reddere irregularem & inhabilem adeoque irritare provisionem, secundùm dicenda n. 787. Delicta autem, quæ secundùm dicenda à n. 940. inducunt privationem beneficii, multò magis impediunt provisionem beneficiandi. Vide *Leur. p. 3. q. 356.*

§. II. Præsentatus invalidè ob crimen, si se emendarit, potest denuo præsentari, saltem accedente dispensatione Superioris, *Abb. Laym. Leur. p. 2. q. 168.*

786

Q. 110. *Quenam infamia obsit beneficiando. R.*

§. I. Quid fit fama & infamia, duxi l. 3. p. 2. n. 1191. Est autem duplex fama, alia de homine, alia inter homines: *fama de homine* est illæstæ dignitatis status moribus & vitâ comprobatus, Cap. *Cognitionum*, §. *existimatio* ff. de variis & extraord. cognit. *Fama inter homines* est communis opinio voce manifestata, soletque dici vox populi seu pice rei gestæ, uti ait *Baldus*. Differt à rumore, quòd huius nesciatur auctor, fitque particularis proclamatio & facillè deficiat, fama autem habeat auctorem, sit communis proclamatio & crescat eundo. Utraque fama tum dicitur *publica*, quando jus vel factum per eam redditur notorium, id est, transit ad notitiam majoris partis communitatis, nam per majorem partem repræsentatur totus populus, L. *Nulli*, & L. *planè*, ff. Quod cujuscumque univers. nom. Notor.

Notorium autem est, vel *juris*, quod provenit ex judiciali confessione, probatione aut re judicata; vel *facti*, cujus testis est populus, ita ut dissimulationi non sit locus; vel *presumptionis*, si ex circumstantiis publicis à jure acceptetur pro veritate. Ad notorium requiritur scientia vicinæ vel majoris partis ipsius, dummodo, inquit *Abb. in Cap. de manifest.* 2. q. 1., non sint minus quam 10. personæ in loco, unde ubi non sunt 10. personæ, non potest oriri notorium, uti fatetur *Bartol. in Cap. scriptus*, n. 2. v. *quid ergo*. Vide dicta l. 3. p. 2. n. 1219., ubi magis particulariter id explicatum est. Similiter infamia alia est *juris*, si secundum leges inducatur per sententiam, & ita lex reddit sodomitas infames, licet crimen divulgatum non sit, *Iason & alii cura Levr. p. 1. q. 339.* Alia *facti*, si ex facto ipso independenter ab omni lege humana exsurgat apud bonos & graves homines, rectè enim notant *Sanch. & Garc. p. 7. c. 8. n. 12. ex Cap. Qualiter & quando*, 24. de accus., & *Cap. In cunctis* 11. q. 3., eum non esse infamem, cujus fama læsa est tantum apud maledicos, mulieres, pueros, leves personas: etiam rectè notat *Abb. in Cap. Inquisitionis*, n. 6., & colligitur ex *Cap. Vbi periculum*, de Elect. in 6., in majoribus criminibus ad infamiam requiri majorem numerum personarum, quæ sciant; & adhuc multò majorem numerum ad infamiam personæ publicæ quàm privatæ.

§. II. Infames infamiâ facti ex delicto notorio 787
non debent provideri: provisio tamen eorum non videtur ipso jure irrita sed irritanda, quando sufficienter constabit de delicto; hinc si Presbytero adultero & de adulterio infamato etiamque punito fiat collatio, debet saltem irritari: ac idem est, si de eo sit vehementissimè suspectus, *Less. in auct. v. beneficium*,

ficium, *caſ. 5.* Infames infamiâ juris, ſi non ſint declarati per ſententiam, licet provideri non debeant, tamen proviſio eorum non eſt irrita ipſo jure, & ſi confirmetur, antequam proviſus decernatur infamis, proviſio rectè eſt confirmata, licet ob delictum poſtea puniri poſſit etiam privatione beneficii ſed ſi infamia eſt latæ ſententiæ, proviſio infamati eſt ipſo jure nulla, quamvis ante declarationem ſit tolerata ab Eccleſia: & ideo acta per jurisdictionem talis proviſi valent ex titulo publici officii, at tamen per ſubſequentem declarationem criminis infamantis, ipſo jure ruit proviſio & confirmatio, ſuntque irrita omnia acta proviſi privata & non provenientia ex officio. Quod ſi quis infamis provideatur poſt ſententiam declaratoriam criminis, cui annexa eſt infamia ipſo jure, proviſio eſt nulla nec toleratur, ſed omni effectu caret, ita de electione *Paſſ. c. 25. n. 595.*, quod ſimiliter valet de aliis proviſionibus, poſſuntque hæc videri per partes explicata apud *Leur. q. 340. & ſeqq.*

788 §. III. Putant *Nav. Rodrig. Mirand. & alii* cum *Barb. de Pot. Ep. alleg. 43. n. 30.*, Episcopum aut Prælatum poſſe cum ſubdito beneficiando diſpensare in infamia, ſed dicendum eſt tantum poſſe diſpensare in effectibus, quos cauſat infamia, nam infamia facti, quamdiu non purgatur, eſt impedimentum quaſi de jure naturæ excludens à beneficio, uti rectè *Paſſ. n. 540.*

789 Q. 111. Quid addendum ſit circa ſcientiam, peritiam linguæ, gradum quandoque prærequiſitum in beneficiando. R. *Seqq.*

§. I. In genere, tanta requiritur ſcientia, quæ cum ordinariis auxiliis divinis & conſiliis humanis ſufficiat ad prudenter exequendum officium dignitatis vel beneficio annexum, alioqui tam promovens quam

quàm promotus peccat mortaliter, *Suar. Mirand. Garc. Leur. p. 1. q. 242.*; ubi in qq. seqq. declarat in specie, quæ scientia requiratur ad Clericatum, beneficium simplex, Dignitates, Canonicatus, Parochiam, Abbatiam, Episcopatum: & si horum omnium promotio fiat cum defectu scientiæ, non est ipso jure irrita sed irritanda, *Leur. q. 249.*; hinc si titulum beneficii obtinuerint, non tenentur fructus interea perceptos restituere; promotores tamen tenentur reparare damna ideo causata Ecclesiæ, *Nav. Az. Less. Garc. p. 7. c. 7. n. 26.* Quod si quis nequidem sciret legere latinè, illius præsentatio ad beneficium est ipso jure irrita, arg. *Cap. ult. De temp. ord. in 6.*, quia, uti dicitur *Cap. Illiteratos, dist. 36., literis carens sacris non potest esse aptus Officiis.* Si autem legere & scribere sciat, sed non intelligat, est irritanda, imò & irrita, si sit beneficium curatum vel Cathedrale, *Laym. Leur. p. 2. q. 263.* Et defectum omnis literaturæ esse juris divini ac omnino indispensabilem putant *Felin. Maj. Turrecr. Paris. apud Leur. p. 3. q. 358.*, potestque etiam de hoc videri *p. 1. q. 257.* Et ubi nescitur de scientia vel literatura sufficiente, promovendus tenetur eam probare acceptato examine, *Lott. Leur. p. 1. q. 251.*

§. II. Ignorans idioma loci, est per *Reg. 19. Can. 790* cel. incapax beneficii curati in tali loco, cum debeat etiam verbo pascere gregem, nisi fortè Papa conferens, v. g. Episcopatum, & hoc sciens, censeatur dispensare. Idem tenent *Gom. Chok* & alii de Vicariis perpetuis, beneficiis electivis, commendis, si sint beneficia curata, non autem si curata non sint. Vide *Leur. p. 3. q. 354.*, ubi etiam notat in quibusdam Regnis non posse conferri exteris, licet idioma noverint.

§. III. Pro Cathedralibus Ecclesiis requiritur *791*
Bb § gradus

gradus Doctoris vel Licentiati in Theologia aut iure Canonico, vel saltem publicum alicujus Academiae testimonium de idoneitate ad alios docendos, 1. ad Episcopatum: 2. Ad Scholasteriam, ubi Seminarium est, nec instituti sunt alii præceptores, *Trid. Ses. 23. c. 18. de Ref.* 3. Ad Archidiaconatum habentem annexam Curam animarum vel Jurisdictionem, *Trid. Ses. 24. c. 12.*, addens tamen, *ubi id fieri potest.* 4. Ad Archipresbyteratum, cui annexa est Jurisdictio, *Barb. ad Trid. supra.* 5. Ad Canonicatum, cui annexus est poenitentiarius, *Trid.*, addens tamen posse esse alium, qui aptior pro loci qualitate reperitur. Hortatur etiam *Trid.*, ut Decani alique dignitatem habentes, item media saltem pars Canonorum in Cathedralibus & insignibus Collegiatis sit graduata, id tamen non præcipit, *Barb. Garc. Lott. Leur. p. 1. q. 252.* Vide etiam *Menoch. de arbit. judic. cas. 425.*

792 §. IV. Debet ille gradus esse susceptus in publica Universitate studii generalis, *Lott. l. 3. q. 7. à n. 123.* Quamvis autem mens *Trid.* sit, ut non ad tantum gradum, sed etiam competentem scientiam, *Lott. à n. 50.*; si tamen quis habens gradum careret scientiâ, validè provideretur, *Az. Barb. Garc. Castrop. T. 13. D. 4. p. 6. n. 19.*; nec privari posset vi legis positivæ, nam observata est per susceptionem gradus, *Passer. de Elect. c. 25. n. 36.* Quòd si gradus susceptus sit irritus, quia neglectum est aliquid ad valorem præmittendum, provisio etiam irrita est ipso facto, *Az. Garc. Castrop. Leur. q. 254.*; putat tamen *Sanch. in Conf. l. 2. c. 1. D. 57.* si quis contra statuta Universitatis, v. g. fieret Magister artium, antequam esset immatriculatus, vel Baccalaureus, si reliqua haberet, non peccaturum graviter, neque Magisterium ideo fore irritum.

§. V. Si expressè non dicatur, quòd gradus de- 793
beat esse antè susceptus, uti si fundatio sic habeat,
hoc beneficium non conferatur nisi Doctori Theolo-
gia, non est opus, ut talem gradum priùs habeat,
sed sufficit, ut tempore provisionis sit habilis ad il-
lum statim comparandum, cum obligatione com-
parandi, *Less. l. 2. c. 34. n. 106.* Ratio est, quia præ-
sumitur talem fuisse mentem fundatorum, cum gra-
dus actualis non faciat idoneum; & alioquin sæpe
excluderentur digniores, qui fortè gradum actu
non habent. Et quando dicitur, ut gradus aut cer-
tus Ordo suscipiatur intra annum, tempus non cur-
rit nisi à die obtentæ pacificæ possessionis, quia in-
certus de beneficio exponi non debet periculo per-
dendi sumptus aut subeundi onera sine beneficio,
Luca d. 42. n. 12.

Q. 112. *Quid addendum sit circa ætatem re-* 794
quisitam ad beneficia. R. Seqq.

§. I. Certa ætas non requiritur ad Capellanas
laicas aliasque etiam pias dispositiones, quæ non
subiiciuntur potestati Superioris Ecclesiastici, uti di-
ctum est n. 235. Nec ad pensiones, nisi per accidens
septennium, si debeat esse Clericus, *Luca de benef.*
d. 95. Etiam ad Papatum non requiritur certa ætas,
Castrop. T. 13. d. 4. p. 3. n. 1. Ad Cardinalatum
sufficit ætas necessaria Ordini annexo, & hoc tan-
tùm ex decencia, quia Papa potest, etiam rationa-
biliter, in ætate minore creare Cardinalem, *Barb.*
Castrop. Leuv. p. 1. q. 221. Ad Episcopatum requi-
rit *Trid. Ses. 7. c. 1. de Ref. ex Cap. Cum in cunctis,*
de Elect. annum 30. completum, sed in regno Gal-
liæ ex Concordatis cum *Leone X.* sufficit, ut Epi-
scopus eligendus inchoarit 27. annum, *Castrop. n. 2.*

§. II. Ad omnia beneficia etiam simplicia requi- 795
rit *Trid.* annum 14. inceptum, *Navar.* tamen apud
Dianam

Dianam p. 3. r. 6. R. 64. dicit *Trid.* non esse intelligendum de beneficiis juris patronatus, cum in odiosis non veniant nomine beneficii, sed passim, & merito, rejicitur, nam sunt verè beneficia. Ad principaliter curata requiritur vel actu Sacerdotium cum ætate ordinariè requisita susceptum, vel saltem illa ætas, quâ suscipitur Sacerdotium, cum obligatione intra annum suscipiendi, ætas autem illa est annus 25. inchoatus, *Less.* l. 2. c. 34. n. 108. *Castrop.* n. 12. *Garc. Corr. Lott. Leur.* p. 2. q. 161. aliique 20. AA. cum *Barb.* de Potest. Ep. alleg. 60. n. 81. & de Off. Parochi c. 5. n. 2., habeturque expressè in Cap. *Cum in cunctis*, de Elect. Ratio petitur ex *Trid.* Sess. 23.; ubi postquam de Ref. c. 6. dictum esset neminem etiam primâ tonsurâ initiatum posse obtinere beneficium etiam simplex ante annum 14., additur c. 12. sic, *nullus imposterum ad Subdiaconatus Ordinem ante 22.; ad Diaconatus, ante 23.; ad Presbyteratus, ante 25. ætatis suæ annu promoveatur*, jam verò beneficia principaliter curata prærequirunt esse Presbyterum, vel saltem habere ætatem Presbyteri, & obligationem intra annum suscipiendi Presbyteratum. Idem est de Vicariis perpetuis Ecclesiarum Parochialium, *Az. Castrop.* Si autem cura sit tantum accessoriè annexa, sufficit illa ætas, quæ pro ipso beneficio necessaria est, *Luca, Leur.* p. I. q. 218. Quod si aliquis de beneficio curato provisus impediretur, quominus posset intra annum fieri Sacerdos, non ideo privatur beneficio, *Cap. Commissa*, de Elect. in 6. *Barb.* n. 84.

§. III. Ad Dignitatem Episcopatu inferiore
simul habeat Curam animarum, uti habent quidam
Præpositi, Decani, Archidiaconi, Generales Ordinum,
Provinciales, Priores Conventuales, requiruntur 25. inchoati, *Suar. A. Tamb. Paxiora.*
Leur.

Leur. contra *Nav. Barb. Lex.* requirentes 30. annos. Ad verum Abbatem (cujus signa sunt prærogativa in Choro & Capitulo ac administratio cum jurisdictione) in jure non statuitur certa ætas, communiter tamen postulantur 25. anni. Ad Abbatissam olim requirebantur 40., nunc 30. completi, *Feneck* de benef. c. 34. Si autem non sit verè Abbas aut Abbatisa, sed tantùm nominetur, sufficit ætas, quæ ad beneficia simplicia, *Leur.* q. 223. 224. De Dignitatibus apud Moniales vide *Less.* n. 107. & *Castrop.* n. 4.

§. IV. Ad Canonicatum qualificatum, qui in Cathedrali vel etiam Collegiata dicitur curatus, quia illi specialiter actu vel habitu incumbit Cura animarum, requiritur annus 25. inchoatus; ad eum autem, qui dicitur penitentiarius, requiritur 40., *Luca* supra; sufficere autem esse inceptum dicunt *Az. & Castrop.* n. 17., sed alii cum *Leur.* q. 219. requirunt completum. Quod si talis non adesset, qui foret aptus, poterit è diocesi assumi aptus etiam sine ea ætate, aut extra diocesin accersiri alius habens eam ætatem, *Castrop. Leur.*

§. V. Si distributio Ordinum præcepta per *Trid.* sit facta in aliqua Ecclesia, requiretur ætas ad Ordinem Canonicatui annexum necessaria: si distributio illa non sit facta, sustinent aliqui sufficere annum 14. inceptum, sed pro Cathedralibus declarationes dicunt requiri eam ætatem, ut provisus possit intra annum promoveri ad Subdiaconatum, quod *Luca* de Canonicis d. 5. n. 2. defendit, etiamsi nullus Ordo sit annexus tali Canonicatui: in Germania tamen ex universali consuetudine, permitte Papâ, solent etiam sine dispensatione & derogatione *Trid.* tales Canonicatus conferri ingressis annum 14., *Luca* de benef. d. 95. *Leur.* q. 213.

§. VI.

799 §. VI. Ad dignitates in Cathedrali vel personatus non habentes Curam animarum nec requirentes Sacerdotium sufficit 22. annus, secundum multos cum *Az. & Barb.* de Potest. Episc. alleg. 60. n. 66. inchoatus, sed secundum *Henriq. Less. Garc. Castrop.* n. 10. *Leur.* q. 216. n. I. completus, quia *Trid.* dicit non debere esse minores 22. annis, qui autem non complevit, est minor: an verò etiam comprehendantur Præpositura & Decanatus, videri potest *Garc.* p. 7. c. 4. n. 73. & *Leur.* suprâ. Ad similes dignitates, & personatus in Ecclesia collegiata plures cum *Barb.* n. 67. & *Luca* suprâ dicunt non requiri annum 22., sed sufficere 14., sed *Garc.* & alii cum *Castrop.* n. 7. tenent oppositum, quia *Trid.* sic habet, *in ecclesiis præsertim Cathedralibus*, id præsertim autem includit alias præter Cathedralis.

800 §. VII. Non ideo requiritur annus 25. ad Canonicatus, quia Ecclesiæ vel capitulo annexa est Cura, nam hæc non est penes singulos, sed penes unum specialiter designandum, *Luca* suprâ. Pro cæteris Canonicatibus Ecclesiarum Collegiatarum & dimidiis portionibus Cathedralium sufficit annus 14. inceptus, *Garc. Barb. Castrop.* à n. 18. *Leur.* q. 212. Commendæ ecclesiasticæ regulantur uti beneficia, *Luca* suprâ; item Coadjutoria, inquit *Castrop.* n. 13, eadem enim ætas, quæ in Principali requiritur & sufficit, etiam exoptulatur ad Commendam & Coadjutoriam.

801 §. VIII. Cùm *Trid.* statuatur, ut providendus sit in Ordine, qui tali beneficio est annexus, vel in ætate tali, ut infra annum possit eum suscipere, dubium est, an pro beneficio v. g. Subdiaconali sufficiat eo complevisse annum 20. & incepisse 21., affirmant *Abb. Fagn. Vgol. Paris. Ricc. Pass. Barb. Gonz. Laym. Leur.* q. 215. item *Az. & Less.* n. 110., quia post

post annum habilis es pro illo Ordine, quod tantum requirit *Trid.* E contra negant *Garc.* à n. 22. *Paxiord. Castrop.* n. 16., & dicunt ad tales præbendas requiri actu ætatem, quæ capax sit Ordinis annexi recipiendi, cum obligatione illum recipiendi intra annum, sicuti in beneficiis parochialibus, quamvis non sit obligatio nisi intra annum suscipiendi Sacerdotium, tamen requiritur actu ætas Sacerdotio apta, secundum dicta n. 795.

§. IX. Si fundatio requirat, ut beneficiandus habeat ætatem pro Presbyterio, quamvis per dispensationem fiat Presbyter ante ætatem, non est capax beneficii sed inhabilis defectu ætatis, *Garc.* n. 82. *Castrop.* n. 21. E contra si fundatio dicat ut sit Presbyter, satis est esse per dispensationem Presbyterum ante ætatem, *Butrio*, *Less.* in auct. v. beneficium cas. 2. Vide dicenda n. 822.

§. X. Hactenus dicta intelligi debent de beneficiis secundum se & nunc post *Trid.*, nam fundatis ante *Trid.* non est derogatum. Et etiam nunc, si aliter disponatur in fundatione, *Trid.* non obstat, *Garc. Castrop.* n. 19. *Corr.* l. 4. c. 6. n. 23. *Leur.* p. 2. q. 160. n. 2.; unde si fundator nunc velit sufficere ætatem minorem, admitti potest ejus voluntas, secundum dicenda n. 808.

§. XI. Ætas requisita debet adesse, non tantum tempore collationis, sed etiam tempore electionis, præsentationis, impetrationis, quibus jus ad beneficium acquiritur: imò putant *Vasq.* *Garc.* aliique cum *Castrop.* debere adesse tempore, quo te, v. g. ad concursum sistis, alioquin inhabilis postulas beneficium, sed oppositum videtur probabilius, nam per examen vel concursam non confertur jus ad beneficium, sed tantum fit experimentum de majore dignitate; nec petis beneficium, nisi pro tempore, quo

quo eris habilis. Idem est, si quis, dum resignatio fit in ejus favorem, non habeat Clericatum vel ætatem, satis est enim habere, quando à Papa Romæ subsignatur supplica, quia tunc prius acquiritur ali-quod jus. Similiter non est opus te ætatem habere, quando impetras Rescriptum gratiæ ad beneficium proximè vacaturum, sed sufficit habere in tempore executionis, *Lay. Leur. p. 1. q. 212.*

805 §. XII. Si vel minimum desit ætati, obstat valori provisionis vel præsentationis, *Nav. Sanch. Garc. n. 84.* Si tamen patronus aliquem præsentet per literas, satis est hunc habere ætatem, dum literæ perveniunt ad illum, cui præsentatur, *Rodrig. Vega apud Garc. 88.*

806 §. XIII. *Gl. ad Reg. 17. Cancel. & Sfortias* dixerunt numerationem ætatis inchoari posse à die conceptionis, quando est favorabile proli sic numerari, sed *Covarr. & Sanch. in Decal. l. 4. c. 35. n. 4* dicunt nihil in hac re falsius dici posse, cum generali usu receptum sit ubique, ætatem à die nativitatis numerari consentit *Garc. n. 89.* citans *Mol. & Mandos.* Ratio autem est, tum quia homo per conceptionem necdum censetur esse in mundo, secundum illud *Christi Joan. 16. v. 21. Cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressura, quia natus est homo in mundum,* tum etiam, quia dies conceptionis & animationis nimis ignotus & incertus est; neque est eodem tempus remansionis in utero quoad omnes, ergo à termino ignoto & ita incerto malè numeraretur ætas: Imò *Gonz. & Corr. n. 22.* docent ætatem quoad beneficialia numerandam esse à die baptismi, quia per hunc prius nascitur homo in Ecclesia & in ordine ad spiritualia, secundum illud *Christi, Joan. 3. v. 7. oportet vos nasci denuo, & v. 5., nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu S.,* adducitque pro hoc

hoc communem usum totius orbis, quia ætas probatur per testimonium baptismi, etiam secundum plures decisiones Rotæ, quas refert. Nihilominus alii cum *Sanch.* in Conf. l. 7. c. 1. d. 33. n. 8. dicunt etiam in ordine ad spiritualia numerari posse à die nativitatis, sic enim Judæus quinquagenarius, si heri sit conversus & baptizatus, utique hodie est capax consuræ, & cras beneficii, quantum ad ætatem, quod autem petatur testimonium baptismi ad probandam ætatem, inde est, quia ex illo possumus circiter conijcere de nativitate, aut saltem numerando à baptismo habemus tempus ætatis sufficiens.

§ XIV. Episcopus, per se loquendo, nequidem ad unum diem potest dispensare in hac ætate, etiam si beneficium sit simplex nec requirens ullum Ordinem, *Laym. Az. Less. Garc. Barb.* de Off. Paroch. c. 2. n. 6. *Castrop.* n. 20. *Lewr.* q. 217. & 228. Possunt tamen per speciale privilegium aliqui Episcopi dispensare infra annum, id est, pro anno, minus uno die, pro suscipiendis Ordinibus, sed sic dispensatus non est capax beneficii curati, nisi etiam attigerit annum 25., quamvis anno 24. incepto ordinatus esset sacerdos, uti dictum est n. 795., docentque *Corr.* l. 3. c. 7. n. 5. & alii passim cum *Lewr.* q. 217. n. 3. An autem dispensatus in ætate ad Sacerdotium, sit capax beneficii sacerdotalis, dicitur n. 822.

Q. 113. Quid notandum sit circa varias conditiones & clausulas foundationum. R. Seqq. 808

§ I. Fundator potest in limine foundationis addere condiciones etiam contrarias juri communi, quæ tamen, ut obligent, admitti debent ab Episcopo, *Inn. Felin. Abb. Lamb. Lott. Pias.* p. 2. c. 3. a. 5. n. 5. *Luca* de benef. d. 61. n. 2. *Lewr.* p. 1. q. 28. Et si ab Episcopo admittæ sint, obligent, *Luca* de Canon d. 36. n. 6. de Jure patr. d. 45. n. 10. & d. 70. n. 13. Non

debent tamen esse nimis difficiles, nec turpes, nec contra finem seu substantiam beneficii, nec contra jus naturale vel divinum, juri autem humano derogatur ex concessione Ecclesie, *Lamb Lott. Leur.* q. 29. & 30. Sic apponi potest in fundatione, ut quis presentari possit ad beneficium necdum vacans, *Rota, Corr. Leur.* p. 2. q. 99. n. 5. Item ut liceat per annum, abesse ultra tres menses, *Corr. l. 2. c. 14. n. 46.* Item ut instituens in beneficio sit, non Episcopus, sed alia persona Ecclesiastica, uti dictum est n. 361. Item ut laicus ad tempus habeat beneficium, secundum dicta n. 274. Item ut Clericus septem annorum habeat beneficium, nec obligetur ad Horas ante 11., secundum dicenda n. 1198. Item ut quis hoc beneficium retinere possit cum alio etiam impossibile, uti dicetur n. 905. Item ut habens tantum 14. annos obtineat beneficium sacerdotale, faciatque Missas celebrari per alium, *Lott. Leur.* q. 160. n. 1. Item ut si deficient proventus, onera, etiam Missarum, reduci possint ab Episcopo, uti habet S. Congreg. apud *Gob. in Exp. T. 3. n. 536.* Non obstantibus illis, quæ dicemus n. 854. An autem admitti possit fundatio patronatus Ecclesiastici excludens Papam ab alternativa, videri possunt dicta n. 514. Notant autem *Luca, Corr. & alii cum Leur.* n. 2. nunc post *Trid.* requiri, ut in limine fundationis fiat specialis mentio de tali exorbitante conditione. Quod si fundator aliud non expresserit, censetur voluisse conformare se juri communi, *Fagn. in Cap. ut Abbatibus, de ætat. & qualit. ordin.* n. 98.

309

§. II. Illicitum est dare bona sua Ecclesie, cum pacto, ut dans illa retineat pro præbenda, & in Canonicum admittatur, quia est emptio rei spiritualis pro pretio, adeoque simonia juris naturæ, secundum dicta l. 3. p. 1. n. 86.; potest tamen quis bona dari

date & eam gratiam petere: Et ita refert *Lugo* in Resp. mor. l. 5. d. 15. n. 10. acceptatos esse annuos redditus 300. aureorum oblatos ab eo, qui petebat Episcopatum titularem nullos fructus afferentem, non quòd illis reditibus emeretur Episcopatus, sed ut esset conditio ad justificandam causam erigendi & ei conferendi Episcopatum, sic enim fiebat dignior gratiâ, sicuti laico fundanti beneficium datur jus patronatus, quo reddit se dignum per foundationem beneficii: Item sicuti multæ indulgentiæ vel dispensationes conceduntur sub conditione dandi eleemosynam vel aliquid ad pium opus, quæ datio complet causam dandi, reddendo dantem dignum tali gratiâ.

§. III. Quamvis conditiones, quæ per statuta Capitulorum vel aliunde extrinsecè adveniunt beneficio, aut etiam per Canones præscribuntur, non videantur esse adeo substantiales, tamen conditio, quæ nititur voluntate fundatoris, omnino substantialis est, uti patet ex illis, quæ habet *Corr.* l. 2. c. 10. à n. 144. & c. 12. à n. 30., quia hic noluit alium esse capacem; hinc provisio aliter facta videtur invalida; sed dato esse validam, tamen si aliquis per foundationem in individuo determinatus excludatur, qui erat certò obtenturus beneficium, huic facta est injuria, & est obligatio reddendi beneficium, ac compensandi damna, quia per fraudem impeditus est à consecutione boni illius. Si autem nullus determinatè erat certò obtenturus, adhuc dimitti debet beneficium, ut conferatur secundùm legem foundationis, & restitutio facienda pauperibus vel piæ causæ. Quòd si habentes jus per foundationem resciant & non contradicant, censentur consentire. Si tamen conditio talis requisita esset ob majus bonum Ecclesiæ vel communitatis, uti si requiratur Doctoratus, tunc provisio facta non Doctori est invalida, licet

nullus Doctor contradicat, *Cened. Gutt. Gare.* p. 7
c. 15. à n. 11. *Castrop. T. 13. d. 4. p. 9. n. 4. Leur.* p. 1.
q. 762.

811 §. IV. Quid fieri debeat, quando fundatio requirit, ut providendus sit certo loco natus; Item ut sit civis certæ urbis; Item ut sit consanguineus; & an tunc conferri debeat proximiori, aut etiam conferri possit illegitimo, dictum est à n. 323. Quando autem fundatio dicit, ut aliquid fiat cum aut ex consilio, cum consensu, interventu, scientia, supplicatione alicujus, quid tunc fieri debeat, dictum est à n. 386.

812 §. V. Si fundatio dicat, assistat choro, ad hoc videtur teneri ex justitia, uti ex justitia tenetur legere Missas præscriptas, nempe ex vi contractus, *do, ut facias*, quem cum eo inivit fundator. Si autem fundatio dicat, ut in necessitate juvet Parochum, per necessitatem non videtur intelligi magnus concursus populi, sed tantum necessitas, quæ est, si Pastor sit æger vel absit aut aliter non possit ministrare Sacramenta, in tali autem concursu potest saltem cum aliis adjutoribus; & per accidens est nunc ita confluere populum: ita censuerunt duo viri docti à me interrogati. Denique si non adsit habens qualitatem à fundatione requisitam, potest quivis alius provideri, prout magis accedet ad mentem fundatoris secundum alias conditiones vel qualitates.

813 Q. 114. *An beneficiatus in Cathedrali vel Collegiata teneatur officia hebdomadaria aliasque functiones suo beneficio annexas per seipsum præstare in Ecclesia. R.* Affirmant *Zerol. Gare.* p. 3. c. 2. à n. 494. *Corr. l. 2. c. 14. n. 45.*, quia sic præcipit *Trid. de Ref. Sess. 22. c. 4. & Sess. 24. c. 12.* Ideoque dicunt multi peccare mortaliter, si in hoc notabiliter deficiat; sed non credo *Trid.* in tanto rigore esse ubique in usu, cum

cum plurimi per substitutos faciant: si tamen quis faciat per seipsum, & in eadem Ecclesia habeat dignitatem cum beneficio, hæcque dignitas ac beneficium maneat duo beneficia, aut sint unita principaliter, præstari debent utraque onera & officia annexa, nisi eodem tempore concurrant, tunc enim unum peragi debet per substitutum. Et idem est, si unum sit alteri tantum ad vitam possidentis accessorie unitum, quia etiam tunc manent duo beneficia: si tamen in perpetuum sint accessorie unita cum extinctione inferioris tituli, tenetur tantum ad onera dignitatis. Vide *Leur.* p. 1. q. 419.

Q. 115. *Quid notandum sit circa beneficium requirens Sacerdotium, & qua tunc sint obligationes. R.* 214

§. I. Si verba requirentia Sacerdotium sint negativa, v. g. *nullus, nisi qui actu sit Sacerdos, habeat beneficium*, debet prius esse actu Sacerdos, quam obtineat beneficium, uti habet communis contra *Gonz.* Si sint affirmativa, v. g. *instituetur Sacerdos, qui Missas celebret*, graves DD. putant sufficere, quod sit Clericus aptus fieri Sacerdos, quia videtur tantum significari, quod debeat esse Sacerdos, quando Missæ erunt ex obligatione beneficii celebrandæ: Alii cum *Castrop.* t. 13. d. 1. p. 6. n. 12. & *Leur.* p. 1. q. 102. n. 1. dicunt prærequiri Sacerdotium, quia aliàs non habet qualitatem requisitam, nam esse aptum ad Sacerdotium non est simpliciter esse Sacerdotem; *Gonz. Garc.* p. 7. c. 1. n. 58. *Luca* de benef. d. 96. n. 18. tenent sufficere Sacerdotium aptitudine, si requiratur per legem, uti est in beneficiis parochialibus; si autem requiratur per hominem, uti est in foundationibus, tenent requiri Sacerdotium actu.

§. II. Si verba dicant, *instituetur, qui Missas celebret*, plerique dicunt fati esse & requiri, ut sit
Cle-

Clericus aptitudine, ac voluntate Sacerdos; *Az.* putat, si fundator fuerit laicus, debere esse actu Sacerdotem, quia laici non examinant sed supponunt inesse qualitates requisitas; & videntur consentire *Garc.* & *Leur.* q. 313. E contra *Felin.* *Gonz.* *Barb.* *Garc.* *Lott.* *Castrop.* n. 18. *Leur.* q. 102. n. 2. probabiliter dicunt satis esse, quod sit Clericus, quamvis nec actu nec aptitudine proximâ sit Sacerdos, dummodo sit 14. annorum, quia potest per alium Missas celebrare. Idem tenet cum aliis *Gob.* in Exp. t. 3. n. 574., & etiam plures cum *Luca* d. 58. n. 2. docent beneficia non ideo debere censerî sacerdotalia, quod habeant annexum onus celebrationis Missarum, cum hoc expleri possit per alium, uti dicitur n. 817. Idem docet d. 61. n. 8. & d. 96., n. 4., ubi n. 12. notat, quod nomine Presbyteri etiam aliquando significetur Clericus constitutus in Minoribus, sed ante omnia attendendum est, ubi & à quo conceptum sit instrumentum fundationis, & quid secundum morem loquendi censerî possit intelligi per talia verba, hinc rectè dicit *Leur.* q. 312. nunc per Presbyterum intelligi Sacerdotem, quamvis Presbyter de se significet tantum seniore.

316 §. III. Si requiratur Sacerdotium actu in eo, qui beneficium obtinebit, adhuc dubium est, an presentandus debeat esse actu Sacerdos, & hoc colligendum est ex verbis, quæ si respiciant actum presentationis, v. g. *Præsentetur Sacerdos, qui Missas celebret*, prærequiritur Sacerdotium; si respiciant potius officium presentati, v. g. *præsentetur, qui Missas per se celebret*, aut si fundator simpliciter dicat beneficium esse sacerdotale, satis est tum habere annum 25., & intra annum fieri Sacerdotem, *Garc.* *Corr.* *Lott.* Estque perinde quoad hoc, sive fundatio sit laica sive ecclesiastica, *Garc.* *Lott.* *Leur.* p. 2. q. 162. §. IV.

§. IV. Si verba requirant, ut providendus cele- 817
 bret missas, sed non exprimant, ut *per seipsum*, po-
 test semper per alium, quia potest quis per alium,
 quod potest per seipsum; & qui facit per alium, est
 perinde, ac si faciat per seipsum, Reg. 68. & 72. Juris in
 6. Bonc. Dian. Castrop. n. 18. Luca supra, Lugo in
 Resp. mor. l. 5. d. 9. n. 9. Et universim quando in
 his & similibus dubium est de mente fundatoris, est
 maximè attendendum ad circumstantias, de quibus
 Luca d. 96. n. 10., & ad observantiam temporis præ-
 teriti, Lugo d. 6. n. 9. & Luca n. 8. Vide Leur. supra,
 qui rectè notat, ubi mens fundatoris est clara, non
 debere attendi ad observantiam contrariam, cùm
 nequidem Papa præsumatur velle tollere leges fun-
 dationis.

§. V. Quamvis verba dicant, ut talis providen- 818
 dus fiat Sacerdos & personaliter resideat, adhuc du-
 bium est, an teneatur celebrare per seipsum, nam
 non est certum plùs inde colligi, quàm desiderium
 fundatoris, ut aptus sit celebrare per seipsum, & ita
 resolvit S. Congreg. teste Lugo n. 10. Putant tamen
 Garc. Fill. Leur. p. 1. q. 102. n. 4., si præter onus
 Missarum sit annexum onus juvandi Parochum in
 Cura aut choro, teneri ad Missas per seipsum, quia
 videtur exigi servitium personale.

§. VI. Si ex fundatione sit cautum, ut capella- 819
 nus per seipsum celebret Missas, simplici adhuc con-
 ferri potest clerico in ea ætate constituto, ut intra
 annum ad Sacerdotium promoveri queat, S. Con-
 greg., Nav. Gonz. Garc. Leur. n. 3.

§. VII. Si obligetur celebrare per seipsum, & 820
 legitimè impediatur, non tenetur substituere alium,
 qui pro se suppleat: si obligetur celebrare per seipsum
 vel per alium, si non possit per seipsum, debet per
 alium, vel saltem per seipsam alio tempore vel loco,

secundum præsumptam voluntatem fundatoris, cuius mens sic potest impleri; nec obligatio extinguatur per impedimentum, *Castrop. n. 25.* Si autem celebret per alium, non tenetur dare, quantum ex fructibus beneficii respondet uni Missæ, sed satis est dare ordinarium stipendium, decretum enim de non constituenda Missa ab alio celebranda, retentâ sibi parte stipendii, non spectat ad beneficiarios, uti *S. Congreg. declaravit apud Lugo supra, & de Euch. d. 21. n. 30.*

321 §. VIII. Si fundatio habeat, ut fiat Sacerdos vel amittat fructus, non ideo est beneficium Sacerdotale, potest enim non fieri Sacerdos, si velit fructus amittere, *Lott. Leuv. q. 312. n. 5.*, ubi n. 6. notat posse beneficium quandoque non esse sacerdotale, quamvis præbenda sit talis.

322 Q. 116. *An dispensatus in aetate ad Sacerdotium, hoc ipso sit capax beneficii requirentis Sacerdotium, quamvis in supplica non sit petita dispensatio pro beneficio.* R. Si beneficium sit curatum, non est capax, uti dictum est n. 795. & 807. Si beneficium sit simplex, adhuc negat capacem esse *Corr. l. 3. c. 7. n. 9. & 15.*, citatque pro se *Rebuff. & Barb.*, sed oppositum videtur tenendum secundum dicta n. 802., si enim fundatio non requirat qualitatem ætatis sed Sacerdotii, hanc habet, ergo satisfactum est menti fundatoris.

323 Q. 117. *Quid dicendum sit, si fundatio præscribat Missas certo loco vel tempore, in certo altari vel certis diebus.* R.

§. I. Qui citra necessitatem legit Missas alibi, quam in loco vel altari à fundatore designato, peccat graviter secundum *Nav. Az. Henrig Barb. Corr. l. 2. c. 11. n. 20. & 27. Castrop. t. 13. d. 1. p. 6. n. 26.* Excusatur tamen à mortali, si tantum quinquies vel sexies

sexies per annum negligat locum aut tempus, dummodo celebret alibi aut aliàs ad intentionem debitam: neque talis tenerur ad restitutionem, quia ex hac negligentia loci vel temporis non oritur, per se loquendo, damnum considerabile, *Barb. Corr.* à n. 23. *Burgh. cent. 3. cal. 98. contra Az. & Castrop.* n. 27.

§. II. Causa rationabilis mutandi aliquando locum vel tempus est, si inveniatur altare occupatum, aut ibi desit aliquid requisitum ad Missam, deberetque nimis diu expectare, *Lugo de Euch. d. 21. n. 38.* Item secundum *Less. in auct. v. Missa, cal. 5.*, si velit adesse primitiis cognati sui, visitare amicum, aliquid ex devotione peregrinari &c. Putant etiam *Sylvius p. 1. v. Missa cal. 1.* Episcopum ex causa permittere posse, ut celebretur extra locum in fundatione expressum, sed contradicit *Corr.* à n. 25. Docent etiam *Henriq. Graff. Bonac. Monet. Homob. Barb. de potest. Episc. alleg. 24. n. 36. Castrop. n. 27. Gob. in Exp. t. 3. n. 578.* & alii Episcopum dispensare posse, ut obligatus certo loco celebrare absit causâ studiorum etiam per aliquot annos, & celebrando alibi fruatur stipendiis ex fundatione respondentibus Missæ, sed in hoc etiam contradicunt alii cum *Corr. n. 27.*

§. III. Si jubeatur omni mense celebrare 15. Missas, satisfacit pro hoc & sequente mense, si celebret hoc mense 30., quia hæc anticipata solutio prodest Creditori, *Lugo n. 44. Gob. n. 602.* Excipe, nisi fundator ob specialem causam voluisset aliter, v.g. ne locus diu careret Missis aut ut Missæ prodesse hominibus adhuc morituris.

§. IV. Si fundatio habeat, ut celebret festis celebribus, per hæc intelliguntur, quæ in tali Ecclesia celebrantur in choro & foro, nisi aliunde constet de mente fundatoris; & ita nunc videtur constare op-

positum de foundationibus quibusdam in dicecesi Monasteriensi factis circa 15. sæculum, nam eo tempore per festa intelligebantur omnia, quæ in Calendario rubro caractere notabantur, in Breviario enim Monasteriensi impresso anno 1518. post Calendarium dicitur, *festa Sanctorum rubra sunt celebrata*, & expressè dicitur, quòd festum S. Thomæ Cantuariensis & S. Pauli Eremitæ &c., sit celebratum festum: Ex quibus patet pro explicanda mente fundatorum attendi debere ad tempus & locum, quo factæ sunt foundationes; item ad significationem verborum in communi usu eo tempore & loco.

827 §. V. Quando jubetur celebrare, v. g. ter de septimana, hæc inchoatur in die Dominica, potestque satisfacere etiam diebus ferialibus: putat tamen Gob. n. 586., si deesset alius pro diebus festivis, fundatorem censeri voluisse obligare ad dies festivos.

828 §. VI. Qui jubetur celebrare omni die Jovis, Veneris & Sabbathi, ad nihil tenetur pro die Veneris sancto, quia ille dies semper censetur exceptus: Si commodè posset & vellet celebrare die Jovis aut Sabbatho sancto, deberet offerre pro fundatione, non tenetur tamen petere pro hoc licentiam, nec aliis diebus supplere, sed potest se accommodare consuetudini Ecclesiæ, secundum quam non celebratur illis diebus, *Lugo* n. 46.

829 §. VII. Si quis teneatur celebrare certo die, v. g. Jovis, ob peculiarem rationem illi diei affixam, v. g. ob honorem Venerabilis Sacramenti, idem dicendum est, quod n. 833. dicetur de designatione loci & altaris, si enim non possit illo die, non tenebitur alio, *Lugo* n. 43. Rarò tamen præsumi potest, quòd ratione diei vel talis præcisè mysterii requiratur Missa.

830 §. VIII. Si jubeatur celebrare omni die, *Nov.*
apud

apud *Dianam* p. 2. T. 14. R. 28. dicit semel iterumque de septimana abstinere posse devotionis & reverentia causa: *Steph.* T. 5. d. 4. n. 75. dicit posse semel, idque colligit ex *Cap. significatum*, de præb., ubi dicitur de tali, ut quanto frequentius potest, celebret, salvâ honestate & debitâ devotione. Admittit etiam *Lex.* posse semel vel iterum de anno celebrare pro aliquo sibi valde conjuncto, v. g. qui obiit vel est in gravi necessitate, nimis enim durum foret id negare illi, & revera consentiret fundator, si rogaretur: Imò *Gob.* & alii dicunt posse de anno quinque aut sexies vel etiam sæpius celebrare pro se, cognatis vel benefactoribus aliis, quod omnino rationabile est, sed consulit *Steph.* n. 74., ut simul applicet pro fundatore, quantum huic prodesse potest: supposito autem, quod talis possit aliquando omittere Missam, tamen si legat omni die, non potest ullam legere pro stipendio ad intentionem alterius, quia talis non potest præsumi esse intentio fundatoris, *Diana Pasq.* de Sacrif. q. 1194. *Steph.* n. 75.: imò si de septimana posset semel omittere & vellet omni die legere, non posset communiter legere pro se vel pro alio gratis, *Pelliz. Gob.* n. 584.

Plura circa hæc videri possunt apud *Barb.* de potest. Ep. alleg. 24. à n. 29. *Pasq.* de Sacrif. à q. 1116. *Gob.* T. 3. à n. 504. & in *Clypeo* n. 501., ubi fusè agunt de obligatione celebrandi ratione Capellanæ vel beneficii.

Q. 118 *Quid dicendum sit, si non præscribitur expressè quoties, vel ad quam intentionem sit celebrandum.* R. §. I. Si quis habere non possit literas foundationis, aut ex his non possit rescire obligationem ad Missas, an nempe teneatur omni die, septimanâ vel mense, inquirat quid fecerint antecessores, & idem faciat; aut attendat, quæ sit quoad similes funda-

fundationes consuetudo regionis & loci, in quo est beneficium, & secundum illam procedat: quod si mos sit varius, sequi potest hoc, quod est minus. Si tamen redditus sint pingues, nec aliunde colligere possit, quoties teneatur, putant *Tamb. & Gob.* in *Exp. T. 3. n. 478.* teneri omni die, & si haec neglexerit, debere compensare, quantum factus est ditior, quia ubi fructus sunt æquales obligationi quotidianæ, hæc præsumi debet imposita, nisi aliud constet.

332 §. II. Si jubeatur celebrare, quoties salva honestate ac cum debita devotione poterit, secundum *Panorm. Silv.* & alios non tenetur, si passus sit pollutionem, etiam sine culpa; nec si à gravi passione iræ aut tristitiæ non facile possit animum componere: nec si malè habeat aut sentiat tædium, quod non facile possit excutere; nec si sentiat crudelitatem stomachi, quales ex crapula & epulis relinquuntur; nec quando est ita affectus, ut non videatur sibi posse tantam functionem cum debita devotione & attentione obire: de cætero debet quotidie, nisi legitima consuetudo vel auctoritas aut similis causa iusta excuset, *Less. in auct. v. Missa cas. 5.*

333 §. III. Si constet Missas, v. g. tres in septimana esse legendas, & nesciatur ad quam intentionem, præsumendum est fieri debere pro anima vel familia fundatoris, quia in dubio quisque præsumitur sibi vel suis voluisse optimè consulere, *Bonac. Lugd. Pasq. q. 908. Gob. n. 494.*, pro quo declarationem S. Congreg. refert *Pignatelli Tom. I. Conf. 139.* Hinc docet *Sylvius p. 2. v. Missa cas. 4.*, si fundatio nudè habeat, *fundo Missam omni die Veneris legendam*, præsumi legendam ad intentionem fundatoris, quia usus est fundantium, ut quamvis Missa talis sit etiam ad devotionem vel commoditatem populi,

puli, tamen velint sibi & familiæ prodesse, ideoque assignant stipendium. Quòd si prudenter præsumatur, quòd non intenderit specialiter fructum Sacrificii, sed tantum venerationem loci vel temporis alicuius simile, qui non posset celebrare isto loco vel tempore, non teneretur alio, sicuti qui ad honorem S. Bernardi vovisset jejunare pridie festi ipsius, si tum non posset, non teneretur alio die, *Burgh. Gob. n. 577.*, ideoque semper posset Missam applicare alteri pro stipendio, *Lugo à n. 36. Steph. t. 5. d. 4 n. 66.* Præsumi tamen vix potest, quòd fundator non intenderit simul fructum sacrificii, hinc manebit obligatio alio loco vel tempore celebrandi: si tamen iubeatur celebrare, quando ad Ecclesiam accedit multus populus, putat *Tamb. in meth. celebr. l. 3. c. 1. §. 3. à n. 20.* posse præsumi, quòd fundator principaliter intenderit solam celebrationem fieri, non autem applicari sibi Missam: idem dicit, si Moniales dato stipendio vocent Sacerdotem ad legendam Missam, ut eam audire possint, sed *Gob. n. 549.* refert decretum S. Congreg. approbatum ab *Vrb. VIII.* expressè dicens, quòd illi Sacerdotes, qui nullà alià obligatione in Confraternitatibus vel Monasteriis Monialium celebrant, quàm pro ornatu Ecclesiæ, vel ut Confratres aut Moniales satisfaciant præcepto Missæ, non possint ultra stipendium, quod accipiunt à Confraternitate vel Monasterio, aliud à quoquam alio recipere.

§. IV. Si ad foundationem aliquam de se tenuem adjecta sint legata per benefactores, & nesciatur, an pro solo fundatore, an etiam pro benefactoribus sint legendæ Missæ, *Gob. n. 594.* putat non necessario esse his applicandas, nisi positivè constet ita statuisse, quia jura & DD. non ita loquuntur de his, uti de fundatore, & censentur voluisse ferre subsidium

834

dium foundationi non ideo addendo nova onera, hinc putat satis esse eorum cum aliis meminisse in Sacrificio.

835 *Q. 119. Quid facere debeat, qui ante vel post provisionem advertit in se inhabilitatem, vitium vel defectum. R.*

§. I. Qui advertit ante provisionem, per se loquendo, petere non debet illam, priusquam dispensetur: & si fiat inquisitio circa defectus, tenetur manifestare aut recusare beneficium, *Abb. Inn. Bunt. Nav. Sanch. Laym.* Si tamen sine infamia vel gravi alio damno non posset subterfugere, posset admittere cum obligatione statim petendi dispensationem, uti dictum est n. 781,; essetque talis provisio naturaliter & quasi fundamentaliter valida, ac sanatur per supervenientem dispensationem, *Inn. Swan. Laym. Lott. Diana p. 4. t. 4. R. 56. Leur. p. 2. q. 758.*

836 §. II. Qui nulliter est provisos, per se loquendo tenetur beneficium dimittere, aut manifestatâ nullitate petere de novo titulum: si tamen vitium sit occultum, & hoc postea per dispensationem tollatur, probabile est titulum validari, uti habet *Laym.*, sed hoc non debet cedere in cuiusquam præjudicium, de quo exempla dat *Leur. q. 760.*

837 §. III. I. *Andr. Abb. Felin. Laym.* putant provisosum cum defectu, quem sperat brevi cessaturum, & cum irregularitate, defectu ætatis vel scientiæ &c., posse aliquando salvâ conscientiam retinere beneficium nec indigere revalidatione post remotum defectum, quia si observata sint ea, quæ de jure natura sunt necessaria, non censetur esse tantus rigor Constitutionum positivarum, ut velint actum esse ipso jure & facto nullum, quamdiu non rescinditur, sic enim *Cap. Cùm dilectus, de Consuet., Cap. 1. de*

Postu-

Postulat., Cap. scriptum, de Elect., dicuntur ea esse irritanda, quæ ipso jure non subsistebant, Nav. Silv. Sa, Sanch. de matr. l. 8. d. 7. n. 12. Hinc Diana in Comp. v. beneficium n. 18. dicit, qui non publicavit resignationem secundum Gregorianam, vel habuit beneficium non servatâ formâ à jure traditâ, vel per præsentationem patroni elapso tempore, vel per collationem non habentis potestatem, vel habentis quidem, sed non potentis conferre propter excommunicationem vel aliam causam, potest in foro conscientie illud retinere, ita Sot. & alii sex: quæ saltem vera sunt, inquit Diana p. 11. t. 5. R. 56., quando defectus est occultus, & ex dimissione beneficii vel petitione novæ provisionis magnum damnum status vel famæ pateretur: & idem tenent Paris. de Confid. q. 14. n. 34. Branden q. 5. n. 13. Sanch. in Conf. l. 2. c. 1. d. 34. n. 14. aliusque doctissimus vir ab eo consultus, si nempe ex dimissione beneficii timeretur grave scandalum, quia alii aliquod grave malum de illo suspicarentur, eò quòd nullus appareret color, cur beneficium illud dimittat: fatendum tamen est quandoque ita irritari actus jure positivo nullos, ut nequidem pro conscientia valeant unquam, uti si quis sit provisus in excommunicatione majore, per excommunicatum non toleratum, per simoniam, laborans infamiâ juris publicâ &c. Vide Leur. q. 761.

Circa præsentationem vel provisionem factam post tempus à jure concessum, videri possunt etiam dicta n. 310. & 568.

Q. 120. Quid possit fundator, hares, patronus, 833
Episcopus, Papa circa immutationem vel dispensationem in conditionibus fundationum. R

§. 1. Post perfectam & ab Episcopo admissam erectionem beneficii non potest fundator adjicere
novas

novas leges aut condiciones alterativas, nec nova onera addere, nec imposita minuere, *Imol. Garc. Corr. Luca*. Nec hæres vel Patroni possunt negligere conditionem à fundatore appositam, *Barb. Bravat. Vivian. Luca, Leur. p. 2. q. 94*. Putat tamen *Luca* apud *Leur. n. 6.* à Patrono successore posse adijci aliquid quasi declarativum ejus, quod fortè volebat fundatio, v. g. si fundator dixerit providendum debere esse civem talis urbis, Patronum posse adjicere, ut si plures illius urbis habeant cæteras qualitates, ille præferatur, qui est de sanguine fundatoris. Similiter quamvis per Patronum nequidem de consensu Ordinarii beneficium perpetuum reddi possit manuale, uti habet communior contra *Nay. & Gonz.*, tamen putat *Luca* apud *Leur. n. 8.*, si fundator erexerit beneficium manuale, posse patronum successorem consentiente Episcopo sic limitare, ut quoties continget illud possideri per aliquem de familia, is removeri nequeat, quia hoc est tantum suppletivum & declarativum mentis fundatoris, cui dedecus esset removeri suum descendentem vel agnatum. Diximus etiam n. 334. posse per Episcopum, si fundator petat, jus patronatus hæreditarium mutari in gentilitium vel mixtum, & contra

839 §. II. Si fundator adhuc vivat & consentiat, poterit Episcopus cum causa utili Ecclesiæ, etiam in perpetuum mutare talem aliquam conditionem, uti tenent *Gutt. Lambert. Leur. p. 1. q. 31.*, & clarum esse dicit *Garc. p. 7. c. 1. n. 103.*, ac certum esse dicit *Castrop. t. 13. d. 1. p. 6. n. 20.*

840 §. III. Graves AA. apud *Castrop. n. 21.*, alique cum *Pegnat. decis. 45. n. 10.* docuerunt posse Episcopum cum consensu Patronorum dispensare in conditione à fundatore requisita, sed cum non meminerint *Trid.*, nec declarationum post illud, censentur

sentur loqui de jure vel consuetudine antiqua: Etiam factâ mentione *Trid.* putarunt plures viri docti, si adlit causa, ob quam fundator credatur consensurus, si viveret, adhuc posse Episcopum cum consensu successoris Patroni pro una vel altera vice sic dispensare: & id probabile esse dixit *Pirh.* de Jurepatr. n. 131. citans *Abb. & Nav.*; imò *Nicol.* t. 1. d. 5. §. 18. dicit ita esse resolutum à *Rota, Laym.* l. 4. t. 2. c. 13. n. 17. citans *Lambert.* ait, si sint circumstantiæ, ob quas à conditione beneficii rationabiliter videatur recedendum, talem interpretationem ac mutationem pro una vel altera vice facere posse Episcopum consentiente hærede fundatoris vel successore aut Patrono; vel etiam, quando necessitas exigit, his invitis, quia per hoc nulla vel exigua fit derogatio menti fundatoris, quæ manet aliàs immutata & per episcopiam censetur non fuisse de hoc casu. Consentit *Sanch.* in Conf. l. 2. c. 2. d. 26., quia voluntas fundatoris præsumi potest fuisse submissa potestati Ordinarii, si ita videretur etiam successoribus seu Patronis: imò *Sanch.* putavit, quamvis fundator addidisset, *nec volo à quoquam aliter fieri,* adhuc fieri posse, eò quòd videatur esse sensus, non volo aliter fieri ordinariè, communiter & sine causa: E contra videtur obstare *Trid.* Sess. 25. c. 5. de Ref., Ratio postulat, ut illis, quæ bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur, quando igitur ex beneficiorum quorumcunque erectione seu fundatione aut aliis Constitutionibus qualitates aliqua requiruntur &c. in beneficiorum collatione seu in quacumque alia dispositione eis non derogetur; hinc *Dec. Gutta Barb. & Gallem.* ad dictum locum *Trid.*, & *Castrop.* n. 22 *Luca* de benef. d. 96. n. 7. *Leur.* p. 1. q. 313. & p. 2. q. 94. dicunt nequidem de consensu Patronorum id nunc fieri posse;

*Garc. p. 7. c. I. à n. 112. refert id sæpius decisum esse. Idem tenet Corr. l. 2. c. II. à n. 147., ubi dicit nequidem pro una vice id posse Episcopum ; & n. 148. adducit hanc declarationem, Congregatio Concilii censuit non licere Episcopo post Concilium, etiam accedente Patronorum consensu derogare qualitatibus in fundatione beneficii appositis, ideoque si beneficium in fundatione certam aetatem requirat, non posse Episcopum illud, quamvis Patronus consentiat, ei conferre, qui nequaquam fuerit ejusmodi aetatis: plures ejusmodi declarationes & decisiones affert n. seqq. Nec obstat, quòd fortè talis conditio sit ab Episcopo ipso apposita, nam ratio *Trid.* est universalis, dicit enim, *qua semel bene constituta sunt, ratio postulat, ut illis non derogetur*, ubi non distinguit, an per fundatorem ipsum, an per alium sit in fundatione aliquid bene constitutum ; imò expressè addit, quando ex beneficiorum erectione seu fundatione aut aliis Constitutionibus requiruntur. &, in quacumque alia dispositione, eis non derogetur. Adde, quòd licèt talis conditio sit ab Episcopo apposita, tamen videtur certum, quòd fundator in eam consenserit, ergo tantundem est, ac si ab ipso fundatore esset apposita.*

841 §. IV. Quamvis aliqui teneant Episcopum posse aliquam ultimam voluntatem defuncti commutare in melius, uti referemus n. 846., tamen dicendum est non posse mentem fundatoris commutare in melius, quamvis accedat consensus hæredum & Patronorum, *Mol. de just. Tom. 2. d. 249. n. 610.* Et sequitur ex dictis, 1. quia specialiter prohibetur Episcopis, ne alterent leges fundationis, uti dictum est. 2. Fundator hoc ordinavit, & nihil melius voluit, sed hoc præcisè, ergo nec debet aliud velle Episcopus, cujus non est citra consensum Ecclesiæ reformare

mare vel meliorare mentem fundatoris. 3. Si hoc liceret, omnes foundationes essent perpetuò mutabiles ob varia judicia Episcoporum hoc vel illud putantium esse melius. 4. Hæc potestas Episcopi multum deterreret homines à faciendis foundationibus, ergo.

§. V. Papa ipse legibus à fundatore positis derogare non potest, nisi agat de plenitudine potestatis, *Bald. & alii cum Sancti*. d. 34., quia censetur esse quasi contractus initus inter Ecclesiam & fundatorem, ut illa ita observentur; tenetur autem etiam Papa ordinariò contractibus, ubi non urget alia necessitas, uti dictum est à n. 518. ergo. 842

§. VI. Si per statutum alicujus particularis Ecclesie non confirmatum à Papa requiratur aliquid ad beneficium, Episcopus cum consensu Capituli dispensare potest, *Laym. Leur*. p. 1. q. 228. n. 2. Et quando Papa providet etiam ex motu proprio alicui cum clausula, *non obstantibus*, per hoc derogat qualitati requisitæ ex speciali statuto alicujus Ecclesie vel etiam fortè fundatoris Ecclesiastici, non tamen laici, *Corr. Leur*. q. 313. contra *Gonz.* 843

§. VII. Si fundator voluerit aliquid, quod servari non potest, Ordinarius cum duobus peritioribus de Capitulo poterit disponere in alium pium usum, qui intentioni fundatoris sit proximior, uti ex *Trid.* c. 8. docet *Sylvius* p. I. v. *hospitale*, & v. *Missa*, cas. 3. & 4. Similiter quando dispositio beneficiæ non subsistit, potest Episcopus eam commutare, præsertim si accedat hæredis consensus, uti si pecunia fundata ad certum usum, ad hunc non sufficeret, *Barb. de pot. Episc.* alleg. 83. à n. 5. 844

§. VIII. Si fundator voluit, ut qui hoc suum beneficium haberet, non posset habere cum illo aliud, ita autem deficient reditus, ut non sufficiant ad honestam 845

nestam sustentationem, potest Episcopus interpretando mentem fundatoris declarare posse simul haberi aliud beneficium, uti colligitur ex eis, quæ habent *Felin.* ad Cap. *Cum accessissent*, & *Abb.* ibid. de *Constit.* n. 5. Item *Nav.* l. 3. conf. 6. n. 4. de *Cleric.* non resident., *Laym.* l. 4 t. 2. c. 13. n. 13. & 17. Et ita etiam judicarunt duo Doctores à me consulti, irrationabiliter enim vellet fundator beneficiatum destitui honestâ sustentatione, nec quoad hoc Episcopis prohibetur dispensare vel declarare, quamvis prohibeatur quoad reductionem Missarum, uti dicitur n. 84. Vide etiam dicenda n. 871.

846 Q. 121. *Quid aliàs possit Episcopus vel alius circa commutationem ultimarum voluntatum & circa dispositiones ad pias causas.* R. De hoc habet *Busenb.* talatus l. 3. p. 2. n. 1129., addi tamen possunt seqq.,

§. 1. *Trid.* Sess. 22. c. 6. de *Ref.* sic habet, *In commutationibus ultimarum voluntatum, quæ non nisi ex justa & necessaria causa fieri debent, Episcopi tanquam delegati Sedis Apostolicæ summarie & extrajudicialiter cognoscant, nihil in precibus tacitâ veritate vel suggestâ falsitate fuisse narratum, priusquam commutationes prædictæ executioni demandentur.* Ex hoc textu infert communis sententia cum *Sanch.* in *Conf.* l. 4. c. 2. d. 3. & 7. *Barb.* de pot. Ep. alleg. 83. n. 5., quamvis Episcopus non possit immutare condiciones foundationum beneficialium, utrà n. 839. dictum est, tamen posse tanquam Sedis Apostolicæ delegatum pias voluntates etiam ultimas in usum alium pium commutare ob causam, quæ ei iudicio suo videatur justa: idem dicunt *Silv.* *Beja* p. 4. cas. 22. *Barb.* supra, quamvis tale legatum impleri possit; sed in hoc contradicit *Haun.* de just. T. 1. t. 6. n. 681., si ad Sedem Apostolicam possit recurrere:

curri: imò *Mol.* de just. t. 2. d. 249. n. 6. & *Delbene*
 de Imm. Eccl. c. 8. dub. 21. s. 17. probabiliùs putant
 citato loco *Trid.* tantùm committi Episcopis, ut
 quando commutatio ultimæ voluntatis fuerit ob-
 tenta à Sede Apostolica, Episcopi, quibus commit-
 tatur executio, examinent, an ab illis, qui petie-
 runt fieri commutationem, nihil narratum fuerit
 tacitâ veritate vel suggestâ falsitate, nam *Trid.* cap.
 immediatè antecedente locutum erat de executioni-
 bus dispensationum à Sede Apostolica obtentorum:
 estque hoc conforme *Clement.* *Quia contingit*, de
 relig. domibus, ubi dicitur, *quòd quæ ad certum u-*
sus largitione sunt destinata fidelium, ad illum
debeant, non ad alium (Salvâ quidem Sedis Apo-
stolica auctoritate) converti. Communis tamen
 sententia, uti dixi, tenet, apud Episcopos esse ejusmo-
 di facultatem Ordinariam commutandi, quia talis
 commutatio est quædam dispensatio in lege præscri-
 bente exactè impleri ultimas voluntates, quando
 autem dicitur fieri posse dispensationem, & non ex-
 primitur à quo, uti in *Trid.* satis dicitur, intelli-
 gitur fieri posse ab Episcopo, uti cum plurimis docent
Suar. de leg. l. 6. c. 14. n. 8. & *Sanch.* de matr. l. 8. d.
 5.; hinc infert *Sanch.* in Conf. l. 4. c. 2. d. 7., quod
 approbat *Lugo* de just. d. 24. n. 310., si testator reli-
 quit alicui Ecclesiæ annuatim viginti pro anniver-
 sario & Ecclesia indigeat reparatione, quæ aliunde
 haberi non possit, posse de licentia Episcopi proven-
 tum illum ad tempus applicari reparationi; quod
 admittit *Delbene* à n. 9. propter Epiikiam.

§. II. Non est licitum commutare, nequidem in 847
 melius, piam voluntatem testatoris, quamvis acce-
 dat consensus hæredum, nisi adsit justa & necessaria
 causa, uti tenent plures cum *Barb.* n. 2. contra *Sily.*
Bej. Fern. Genuens. Graff. Comst. Vasq. Dianam

p. 2. t. 3. R. 26., & rationes sunt eadem, ob quas n. 841. diximus Episcopum non posse, nequidem in melius, commutare mentem fundatorum, nam quæ ibi dicta sunt de foundationibus, facillè applicantur piis dispositionibus.

348

§. III. Inter justas causas, ob quas possit Episcopus commutare ultimam piam voluntatem defuncti in aliquid menti testatoris proximum, recenset sequentes *Barb.* à n. 7., & iterum in *Collectan.* ad *Trid.* suprà, citans pro his multos & graves A. A., 1. Si pecunia legata ad usum designatum non sufficiat: 2. Si usus designatus non possit impleri sine magna difficultate: item si commodè impleri non possit, inquit *Haut.* n. 682. 3. Si Monasterium non possit construui, ubi voluit testator, potest Episcopus facere, ut construatur alibi. 4. Si legatum sit factum ad usum non ita necessarium, potest Episcopus convertere ad usum ejusdem Ecclesiæ magis necessarium, v. g. si factum est ad ornamenta, quibus Ecclesia non ita indiget, potest converti ad salarium Rectoris. 5. Dicit *Barb.* posse cum consensu hæredis alterari voluntatem defuncti pro una tantùm vice & ad tempus. 6. Si Ecclesia sit negligens, potest Episcopus alio loco vel alio modo facere impleri voluntatem testatoris. 7. Si urgeat aliunde necessitas commutandi ultimam voluntatem, nec adiri possit Papa. Imò Episcopum posse etiam potestate ordinariâ piâ dispositiones pro una vel altera vice commutare in usus pauperum, quando est gravis necessitas, docet *Carden.* in 1. crisi d. 80. n. 67. Quid autem possit ad sublevandam Reip. necessitatem, dictum est l. 3. p. 2. à n. 1146., ubi n. 1150. dixi non expedire, ut executores sine auctoritate Superiorum, etiam pro gravi necessitate Reip. commutent legata.

349

§. IV. Si Titius donarit 1000. aureos ad pium finem,

finem, sub conditione, ut si finis obtineri non posset, redirent ad dispositionem suam, & interea moriatur, potest eo mortuo adhuc per proportionatum tempus à Judice limitandum sollicitari finis, uti habent *Lop. Covarr. & alii cum Sanch.* in Conf. l. 4. c. 1. d. 56. n. 3. & 8. Quòd si finis ille omnino obtineri non possit, summa donata non cedit hæredi, sed convertenda est ad alium usum pium, uti habet communis cum *Sanch. c. 2. d. 4. & Barb.* de pot. Ep. alleg. 83. n. 4., quia sibi soli reservavit dispositionem de illa, & præsumitur absolutè destinasse ad pium usum & ad utilitatem animæ suæ potiùs quàm hæredis: possuntque sic convertere Episcopus & Executores, semper attendendo, ut talem pium usum eligant, qui maximè accedat ad mentem Titii, uti habetur in *Trid. Sess. 25. c. 8. de Ref.*, & in exemplo ostendit *Lugo* in Resp. Mor. l. 4. d. 32.

§. V. Dum fit commutatio piæ voluntatis defuncti, aliqui affirmant, alii negant requiri consensum hæredis; & putant plures apud *Barb. n. 6.* sufficere consensum Ecclesiæ, cui legabatur. Quid possit Societas J E S U circa immutationem voluntatis testatorum, vide novum comp. privil. v. alienatio §. 5.

Q. 122. An Episcopus vel Capitulum possit beneficio addere nova onera; vel circa beneficium facere nova statuta aut conditiones. R. An possint addi nova onera, videri debent dicta à n. 669. An autem & quando Episcopus possit cogere Clericos ad charitativum subsidium, videri potest *Barb. de potest. Episc. alleg. 87.*, item *Piassec. de jurisd. Episc. pag. 185. à n. 12.*, ubi dicit, quando causa est rationabilis & manifesta, posse illud peti, attamen debere accedere consensum Capituli & Cleri. Quoad nova statuta vel conditiones, docet cum multis aliis

Passer. de Elect. c. 2. à n. 45. posse etiam à Capitulis fieri statuta, v. g. ut à beneficiis sui Capituli excludatur certum genus personarum; & idem est de aliis similibus: sed si hoc sit contra foundationem, tenendum est oppositum, secundum dicta à n. 840. Si autem sit tantum præter foundationem, adhuc dicendum est, quòd talia statuta non ligent Papam, si conferat in alternis suis mensibus, quia statuta particularis Ecclesie non possunt præjudicare quæsto juri S. Sedis & libertati antiquæ conferendi.

§ 52

Q. 123. An possit præscribi contra vel ultra onera ac conditiones in foundationibus appostas R.

§. I. Si præscriptio sit immemorialis, valet contra onera ac conditiones, non ex vi præscriptionis præcisè, sed quia cum hac præsumitur & allegari potest quivis titulus, secundum dicta l. 3. p. 2. n. 543. quodnam autem tempus sit immemoriale, dictum est ibid. n. 520. Si præscriptio non sit immemorialis, major est difficultas, nam 1. quamvis in præscriptione longissimi temporis quandoque præsumi possit titulus, secundum dicta ibid. n. 500., tamen hic præsumi non poterit bona fides, quæ simul ad esse deberet, beneficiatus enim præsumi debet ex fundatione cognovisse leges beneficii, adeoque malà fide neglexisse, nisi ostendat dispensationem vel privilegium. 2. Primæva fundatio habet majorem vim, quàm consuetudo vel privilegium, *Corr. l. 2. c. 10. n. 90.* Nec illi per ordinarias præscriptiones derogari potest, eò quòd *Trid. Sess. 25. c. 5. de Ref. vetans derogari foundationibus, & Bulla Pii IV. confirmans Trid.*, contineant decretum irritans, quidquid contra factum fuerit, ergo impediunt colorem tituli & possessionem, ergo præscriptionem ordinariam in contrarium, secundum dicta n. 657. *Nec obstat, 1. Quòd in beneficiis ultimus status sit attendendus,*

uti

uti notant *Bald. Rota, Litt. l. 1. q. 34. n. 30. nam id tantum valet pro capienda præsumptione, quando de statu anteriore non constat contrarium, tum enim primævus status præsumitur fuisse secundum fundationem, Corr. l. 1. c. 2. à n. 30. Nec obstat 2. quòd status beneficii possit mutari, secundum dicta à n. 296., nam quamvis mutetur, non ideo desinere debet ullum onus: deinde etiam mutari non potest, nisi accedat scientia & consensus Superioris, secundum dicta à n. 296., consensus autem Superioris, cum sit aliquid facti, non præsumitur hic, nec probari poterit; imò universaliter docetur, quòd ad inducendam consuetudinem contra Canones, requiratur scientia & consensus Papæ, uti decidit *Rota* apud *Nicol. t. I. d. 1. §. 5.**

Nihilominus etiam per aliam præscriptionem præscribi posse contra onera & conditiones fundationum docent multi cum *Laym. l. 3. f. 3. t. 1. c. 8. n. 17. & Pasq. de sacrif. q. 1191.*, Similiter præscribi posse contra numerum Missarum, docent *Pasq. q. 1191. & seqq., Tamb. in meth. celeb. l. 3. c. 7. §. 1. Gob. in Exp. t. 3. à n. 514. Pelliz. t. 5. c. 9. n. 92.* testans viros doctos à se consultos esse ejusdem mentis: & addens n. 515. idem esse de obligatione anniversariorum, officii defunctorum, eleemosynæ &c., putantque sufficere inter præsentem, annos 20.; inter absentes, 30. Quoad potestatem præscribendi contra onera & Missas consentit *Th. Hurt. de Resid. t. 1. l. 6. R. 6. §. 4. à n. 8. & §. 6. à n. 14.*, Et hanc sententiam secuta est *Rota*, uti testantur *Tusch. litt. S. concl. 424. n. 9. & Corr. l. 1. c. 6. n. 324.* Rationes esse possunt, 1. quia fundatio & beneficium admittunt præscriptionem, *Cap. Cùm de beneficio, de præb. in 6., & ibid. Gl. Anchar. Franc. Selv. Gom. Barb. n. 4. Rebuff. in praxi benef. tit. regularia beneficia.*

beneficia 2. Quia lex in fundatione posita non obligat, nisi quatenus est usu recepta, *Vivian. Corr.* in praxi disp. l. 4 c. 1. n. 9. Requiritur autem 40. annos docet *Pasq.* q. II93., quia agitur contra Ecclesiam; hos autem sufficere tenent *Gl.* aliique cum *Barb.* supra n. 5. *Gonz.* ad Reg. 8. Cancel. gl. 7. n. 8. & 25. *Tusch.* litt. P. concl. 542.; adeo ut si præscriptio 40. annorum sit completa, faciat jus, & agatur de auferendo jure quæsito, *Gonz.* n. 16. & alii: Licet enim præscriptio sit odiosa & contra jus, quando tamen est acquisita, dicitur secundum jus, Cap. *De quarta* & toto tit. de præscript. *Gonz.* n. 21. Potestque successor in beneficio, inquit *Dicast.* de just. l. 2. t. 1. d. 1. n. 262., gaudere accessione temporis antecessorum suorum, ut ab aliqua conditione seu onere in fundatione requisito liberetur, eamque libertatem illos bonâ fide possedisse in dubio præsumendum, juxta Reg. 14. juris in 6., *Cum quis in jus succedit alterius, justam ignorantia causam censetur habere*; & notavit *Nav.* l. 2. conf. I. de præscript. Et in simili *Covarr.* Reg. Possess. p. 2. §. II. n. 6. Corollario. 4. 3. Quia etiam consuetudo prævalere potest fundationi, *Gl. Barb.* in Summar. I. de consuet. n. 10., & cap. ult. ibid. à n. 10. *Laym.* l. I. decret. c. ult. de consuet. n. 9. Habenturque etiam usus & observantia pro consuetudine, *Barb.* n. 4., addens axiom. de consuet. n. 18., quidquid per præscriptionem induci potest, multò magis per consuetudinem, sic enim valet consuetudo non residendi & tamen percipiendi fructus in absentia, Cap. *Cum omnes*, de Constit. & ibid. *Gloss. Fagn.* n. II. Et ita inolevit consuetudo generalis, quòd beneficia simplicia obtinentes non obligentur ad personalem residentiam, dummodo per substitutos deserviant, *Paris.* l. I. de resign. q. 10. à n. 66. *Hurt.* §. 6. per totum, *Fagn.* in Cap.

in Cap. *Cum omnes*, de Constit. n. 15. *Pirh.* l. 3. t. 4. n. 16. *Lott.* l. 3. q. 27. n. 9. Huc faciunt etiam illa, quæ n. 520. diximus de potestate præscribendi contra Concordata, licet contineant decretum irritans.

§. II. Si quis ex errore, etiam per 30. annos, 853 de septimana legerit 4. Missas, postea autem in fundatione inveniatur, quod ad 3. tantum sit obligatio, quamvis *Pelliz.* dicat talem obligari ad quatuor, id tamen melius negant *Tamb. & Pasq.* q. 1195., tum quia nemo est, qui possideat contra ipsum, suppono enim legisse ex se, & nemine cogente aut id requirente, præscriptio autem non inducitur sine possessione; tum etiam quia actus per errorem gestus non nocet erranti, *L. Si per errorem*, ff. de jurisdictione, errans enim habetur pro contradicente, ergo. Excipe, nisi primæ fundationi accessisset melioratio, ac præsumi posset hoc tempore etiam adjunctum esse novum onus, Vide tamen dicta n. 834.

Q 124. *Quis possit reducere onera fundationum.* R. 854

§. I. Si redditus non sint amplius sufficientes ad præstanda onera, posse ab Episcopo cum consensu Patroni, aut etiam sine hujus consensu, si irracionabiliter sit invitatus, etiam in perpetuum reduci onera, imminui numerum Missarum, remitti residentiam &c., docet *Pirh.* citans *Abb. Laym. Azor*; & consentit *Barb.* de pot. Ep. alleg. 83. n. 4. citans *Felin. & Roch.* quoad reductionem onerum, attamen *Barb.* ibi non loquitur de reductione Missarum: nihilominus *Az. Lambert. & alii cum Castrop.* t. 13. d. 1. p. 6. à n. 23. docent Episcopum etiam extra synodum posse reducere onera Missarum, si redditus sint ita imminuti, ut beneficiato non sufficiant: sed dicendum est, quod quamvis *Trid. Sess. 25. c. 4.* de Ref. concesserit Episcopis facultatem in synodo, item Abba-

Abba-

Abbatibus & Generalibus Ordinum in Capitulis generalibus reducendi numerum missarum, quæ ad usque tempus debebantur ex defunctorum legatis seu relictis vel elemosynis, si omnes peragi non possent, attamen non dedit facultatem reducendi numerum Missarum, quæ debentur ex fundatione beneficii vel Capellanix: neque nunc possunt Episcopi aut Generales reducere onera Missarum ex legatis vel elemosynis contracta post *Trid.*, uti declaravit *Vrb. VIII.*, & recenter *Innoc. XII.*, uti referemus l. 6., quando de Sacrificio, ad dub. 1., i. leoque pro his recurrendum est Romam.

855 §. II. Si uno anno emanent toti fructus, non est obligatio ad ullum onus; si ex parte, est obligatio pro rata, sed ad Episcopum spectat imminuere, *Sylvius p. 2. v. Missa cas. 1. Nec obstant Urb. VIII.* aut *Innos. XII.* decreta, nam videntur tantum loqui de reductione stabili & semper duratura, non autem pro brevi tempore, *Sylv.* cas. 5. Vide dicenda de sacrificio ad dub. I.

856 Q. 125. *An Episcopus possit removere altare fundatum & transferre fundationem ad aliud altare. R.*

§. I. Putarunt aliqui posse, in primis quia Episcopus justis de causis potest destruere altare, *Barb. de jure Eccl. l. 2. c. 8. n. 14.* arg. *Cap. Placuit*, de *Consecr. d. 1.*, junctâ *Gl. Pasq. de Sacrif. q. 684* & alii; imò *Cap. Ecclesia 16.* de *consecr. d. 1.* precipitur, ut destruantur altaria superflua. Deinde possunt in eodem altari constitui plura beneficia seu capellanix, uti dictum est n. 272. Præterea per hoc, quod beneficium altaris destructi transferatur ad aliud altare, neque huic neque illi fit præjudicium, sed potius augetur cultus utriusque Sancti, cum ad unum illorum altare fiant plures Missæ & magis frequer

quærentetur à populo, *Luca* de Jurepatr. d. 17. n. 4. ex mente *Lott.* & decis. 1394. Peniæ. Nihilominus dicendum est, quòd Episcopus non possit penitus removere altare, quòd fundator laicus aut etiam ecclesiasticus construi fecit, aut etiam tantùm dotavit, quia *Clement.*, *Quia contingit*, de religiosis domibus dicitur, *ea, quæ ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debent, non ad alium (salvâ quidem Sedis Apostolicæ auctoritate) converti*, ergo multò minùs penitus aboleri debent: quin & *Trid.* Sess. 21. c. 7. de Ref., ne ea, quæ sacris ministeriis dedicata sunt, temporum injuriâ obsolescant & ex hominum memoria excidant, mandat Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, ut beneficia simplicia ex Ecclesiis, quæ vetustate vel aliâ collapsæ & nullatenus ob inopiam restaurari possunt, transferant ad Ecclesias alias eorundem locorum, & in iis erigant altaria vel capellas sub iisdem invocationibus, vel certè transferant in jam erecta in iis altaria vel capellas cum omnibus emolumentis & oneribus, ergo multò minùs licitum est Episcopis auctoritate ordinariâ destruere aliqua non erectis sub eadem invocatione aliis in eadem Ecclesia persistente. Si dicantur esse superflua, contra est, quòd superfluatorum nomine veniant illa tantùm, quæ in quibusdam capellis interdum sunt per agros aut per vias, uti notat *Zerola* p. 1. v. *altare*, non autem illa, quibus annexæ sunt fundationes per Episcopos approbatæ.

§. II. Neque videtur Episcopus remove posse aliquod altare, fundationem transferendo ad aliud altare habens aliquam fundationem. Ratio est 1. quia etiam obest textus *Clement.* suprâ. 2. Quia Episcopi non possunt immutare vel alterare mentem fundatorum, uti dictum est à n. 840., hoc autem hic fieret,

857

fieret, quia singuli fundatores voluerunt altare sub separata invocatione. 3. Fundatores non consentirent ita fieri, si viverent, nec foundationes facerent, si praeviderent ita pro libitu immutandas ab Episcopis, praesertim cum fundatoribus majori honori sit, quod soli fundarint integrum altare; & re ipsa satis est ipsos pie sic voluisse, nec Episcoporum est eorum voluntatem nequidem in melius commutare aut reformare, uti n. 841. dictum est. 4. Vel utrumque altare erat sub eadem invocatione, v. g. *S. Petri*, vel sub diversa, v. g. unum *S. Petri*, alterum *S. Joannis*: si sub eadem, minuitur cultus illius sancti, quia plus est coli in duobus altaribus quam uno: si sub diversa, etiam minuitur utriusque cultus, nam si altare, ad quod fit translatio, dicatur, uti ante, simpliciter *S. Petri*, certo minuitur cultus *S. Joannis*, qui jam nullum altare habet suae invocationis; si dicatur simul altare *SS. Petri & Joannis*, etiam minuitur utriusque cultus, quia plus est privative habere altare quam cumulative. Unde a paritate rationis non tantum non potest Patronus etiam cum consensu Episcopi auferre fundatoris insignia posita in Ecclesia vel altari & sua substituere, uti recte *Laym. Pirh. Leur. p. 2. q. 94. n. 7.*, sed nequidem sua simul apponere, quia sic partem foundationis addiceret nomini suo in praedjudicium illius, qui solus fundavit.

§. III. Si fundator praesumi non possit habuisse specialem causam, ob quam elegerit hoc numero altare praeter alio, sed ad hoc sit determinatus, v. g. consilio Episcopi aut alterius, videtur Episcopus ex justa causa posse ejusmodi foundationem, retento tamen titulo & invocatione, transferre ad aliud altare omnino liberum, tum enim nec largitio fundatoris aboletur, nec primariae ejus intentioni contra-

venitur,

venitur, nec evertitur ulla lex foundationis, nec o-
nus novum imponitur beneficiario; illa autem ma-
terialis circumstantia altaris aut loci non est confide-
rabilis, si justa causa aliud postulet. Et ita quoad o-
mnia senserunt mecum plures viri eximii de toto
hoc casu consulti.

Q. 126. Quid addendum sit circa intentionem
admittentis beneficium. R. Seqq. 859

§. I. Qui acceptat parochiam sine animo reci-
piendi Sacerdotium intra annum, sed tantum vo-
lens, v. g. frui fructibus aut emolumentis unius an-
ni, peccat mortaliter, & tenetur restituere fructus,
nisi voluntate mutatâ Sacerdotium recipiat; & qui
tali scienter confert Parochiam, tenetur in ejus defe-
ctu restituere, Cap. *Commissa*, de Elect. in 6. *Castrop.*
t. 13. d. 4. p. 7. n. 6. *Passer.* de Elect. c. 25. n. 403. Si
autem acceptet cum dubio, an velit intra annum su-
scipere Sacerdotium, *Nay. Graff Garc.* aliique cum
Barb. de Off. parochi c. 5. n. 14. excusant à peccato
& obligatione restituendi, quia illi tantum dicuntur
subjacere illi culpæ & pœnæ, qui non intendunt
suscipere Sacerdotium, id est, uti ipsi explicant, qui
habent voluntatem non suscipiendi; sed probabilius
est cum *Sot. Lop. Az. Vega, Manuel, Sanch. Castrop.*
n. 5. & 6., quod peccet mortaliter & teneatur resti-
tuere, etiam ante sententiam Judicis, quia jus præ-
requirit animum suscipiendi, nisi justa causa occur-
rat, quæ postea excuset, qui autem dubitat, an ve-
lit, non potest dici simpliciter habere animum. Idem
dicit cum alis *Pass.* n. 397., si acceptet cum animo
conditionato, v. g. nisi quid melius occurrat, sed in
hoc alii contradicunt cum *Castrop.* Si autem initio
habuit animum suscipiendi, sed postea absque causa
mutet & non suscipiat, videtur certum, quod pec-
cet mortaliter, quia non satisfacit obligationi gravi,
quam

quam in se suscepit ; eumque *Abb. Hofst. Sot. Tol. Graff. Az. Garc. & alii* cum *Barb. n. 15.* obligant ad restitutionem, quia fructus dantur ob servitium saltem præstandum, sed *Nav. Lop. Vasq. Sanch. Less. Castrop. n. 9. Pass. n. 402.* probabiliter à restitutione excusant, quia habuit jus in beneficio fecitque fructus suos, neque lex obligat ad restitutionem nihilum, qui recepit parochiam sine intentione se promovendi. Quòd si intendat brevi dimittere parochiam, *Sanch & Castrop. n. II.* dicunt non esse mortale; *Less* de just. l. 2. c. 34. n. 136. dicit esse veniale, quia est aliqua deceptio Ecclesiæ, quæ non conferret, si non putaret esse deserviturum; neque expedit parochos ita sæpe mutari.

360

§. II. Si quis admittat beneficium simplex, cui Ordo Sacer est annexus, absque animo, vel cum animo dubio de suscipièdo Ordine annexo, peccat mortaliter, quia quisque jure naturæ tenetur velle esse idoneus ad id, cujus onus suscipit: imò secundum *Rebuff. Graff. Rayn. Garc.* tenetur restituere fructus, sed *Nav. Sot. Sal. Less. Az. Vasq. Tol. Lop. Castrop. n. 13. Pass. n. 405. Sanch. de matr. l. 7. d. 45. n. 13.* probabiliter dicunt non teneri restituere ante sententiam, quia lex pœnalis *Cap. Commissa*, tantum loquitur de parochialibus: imò praxis est, ut primò priventur mediis fructibus, postea totis, denique etiam ipso beneficio, ergo signum est, quòd ante sententiam privati non sint.

361

§. III. Si quis beneficium simplex non habens annexum Ordinem Sacrum admittat cum animo percipiendi fructus ad tempus & postea ducendi uxorem vel resignandi, secundum *Tol. Sot. Nav.* peccat mortaliter, quod *Fil.* in append. ad tr. 41. c. 6. n. 43. & *Lugo* in Resp. Mor l. 5. d. 4. probant ex *Bulla Pii IV. 12. Inter ceteras*, quæ talem accepta-

acceptationem cujuscumque beneficii reddit irritam, ac prohibet sub pœna excommunicationis & maledictionis æternæ ac privationis omnium aliorum etiam beneficiorum autè habitorum, & inhabilitatis ad omnia impofterum, ipfo facto sine alia declaratione incurrenda; ex quibus clausulis colligunt esse gravitatem præcepti, dicuntque quòd AA. contrariæ sententiæ non viderint vel non ponderarint hanc Bullam: è contrà tamen *Garc. & Castrop.* de Cens. d. 3. p. 30. n. 8. dicunt Bullam illam tantùm pro Curia Romana esse latam, quia initio facit mentionem Cardinalium & Datarii, ad quos spectat provifio beneficiorum, utique non omnium, sed eorum, quæ Romæ conferuntur, ideoque etiam testantur *Fill. & Lugo* suprà, quòd in Curia Romana exigatur juramentum, quòd beneficia non accipiant animo dimittendi, & reipsa *Lugo* tantùm respondet in casu, qui erat in Curia Romana. Addit *Castrop.* contra eam Bullam non agi, si admittens cogiter dimittere cum consensu Papæ, sed in hoc postremo etiam contradicit *Diana* p. 9. t. 7. R. 52. Communiter tamen tenent omnes cum *Sanch. & Less.* talem semper peccare venialiter, quia est aliqua, non tamen gravis deordinatio & deceptio Ecclesiæ, quæ beneficia pro statu Clericali intendit, sed *Nav. Gom. Garc. Castrop.* t. 13. d. 4. p. 7. n. 16. adhuc dicunt probabile esse, quòd nullo modo peccet, quia nullum præceptum viget, quod ab illo violetur, & jus relinquit illi liberum transitum ad nuptias: neque videtur agi contra mentem Ecclesiæ, quæ vult beneficiatum sustentari ex beneficio, quamdiu illud habet & deservit, nec obligat ad permanendum in illo. Vide *Leur.* p. 1. q. 320. & p. 3. q. 319.